



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Sancti Gregorii Papæ Primi Cognomento Magni Opera

In Tres Tomos Distributa. Ex quamplurimis MSS. Codicibus emendata ;
Additæ Sunt Quædam Notæ in Dialogos & Epistolas ejusdem S. Gregorii

Gregor <I., Papst>

Lutetia Parisiorum, 1675

Super Apocalypsim Beati Ioannis Apostoli.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-75090](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-75090)

nos ad bona poterant, innocentium corda corrum-
pant. Hinc est enim quod Joannes obrektoris
sui linguam redarguit, dicens: *Is, qui amat prima-
tum gerere in eis, Diotrephes non recipit nos. Pro-
pter hoc, si venero, commonebo ejus opera, que fa-
cit, verbis malignis garrivus in nos.* Hinc Paulus de-
trahentibus Corinthiis loquitur, dicens: *Epistole,
inquit, graves sunt, & fortes, presentia autem
corporis infirma, & sermo contemptibilis. Hoc cogi-
tet, qui ejusmodi est, quia quales sumus verbo per
epistolas absentes, tales sumus presentes in opere.*
Hi enim, quorum vita in exemplo imitationis est
posita, debent, si possunt, detrahentium sibi verba
compescere, ne predicationem eorum non audiant,
qui audire poterant, & in pravis moribus remanent-
es, bene vivere contemnunt. Sed hac in re subtili
inquisitione necesse est, ut semetipsum animus in-
vestiget, ne fortasse suae laudis gloriam quærat, &
animarum lucra se quætere nostra cogitatio simulet.
Sæpe enim sui nominis laude animus pascitur, &
quasi sub obtentu lucrorum spiritualium, cum de
se bona dici cognoverit, letatur. Et sæpe gloriæ
sue defensione contra detrahentes irascitur, & sin-
git sibi mereri quod hoc ex eorum zelo faciat, quorum
corda a bono fervore detrahentis sermo perturbat.
Illi ergo debent magnopere curare, ne contra eor-
um opinionem detrahentium verba prævalcant, se in
qua suam conscientiam subtiliter discutientes, se in
ea inveniunt de amore privatae gloriæ nihil habere.


Finis exp. in Epist. III. B. Joannis Apost.

INCIPIUNT CAPITULA

de libro Apocalypsis B. Joannis Apostoli.

- 1 *Ioannes septem Ecclesiis que sunt in Asia.*
- 2 *Ioanni Angelus apparuit præcinctus zona aurea.*
- 3 *Ioannes Angelis septem Ecclesiarum scribit.*
- 4 *Scio ubi habitas, ubi sedes est Satana.*
- 5 *Habes illic tenentes doctrinam Balaam.*
- 6 *Dabo tibi calculum candidum.*
- 7 *Esse vigilans, & confirma cetera.*
- 8 *Qui vicerit, faciam illum columnam.*
- 9 *Vitam frigidus esses, aut calidus.*
- 10 *Dicis quod dives sum, & locupletatus.*
- 11 *Suadeo tibi emere à me aurum ignitum.*
- 12 *Collyrio inunge oculos tuos, ut videas.*
- 13 *Ego quos amo, arguo, & castigo.*
- 14 *Qui vicerit, dabo ei sedere mecum.*
- 15 *Et in medio sedis, & in circuitu quatuor animalia.*
- 16 *Et in circuitu, & intus plena sunt oculis.*
- 17 *Et requiem non habebant die ac nocte.*
- 18 *Mittebant coronas suas ante thronum Dei.*
- 19 *Et vidi librum scriptum intus & foris.*
- 20 *Nemo poterat aperire librum.*
- 21 *Ecce vicit leo de tribu Iuda.*
- 22 *Et vidi, & ecce in medio.*
- 23 *Dignus est agnus, qui occisus est, accipere virtutem.*
- 24 *Vidi sub altare Dei animas interfectorum.*
- 25 *Et data sunt illis singule stole alba.*
- 26 *Et dictum est illis, ut quiescerent tempus adhuc modicum.*
- 27 *Factus est Sol, ut saccus cilicinus.*
- 28 *Palma in manibus eorum.*
- 29 *Factum est silentium in celo quasi media hora.*
- 30 *Potestus equorum in ore, & in caudis eorum.*
- 31 *Et habebat in manu sua librum apertum.*
- 32 *Et juravit per viventem in secula: quia tempus non erit amplius.*
- 33 *Accipe librum, et devora illum.*
- 34 *Et accipi librum, et devoravi illum.*
- 35 *Et cum devorassem librum, amaricatus est venter meus.*
- 36 *Oportet te iterum prophetare gentibus.*
- 37 *Atrium, quod est foris templum, eijce foras.*
- 38 *Mulier amicta sole, et luna sub pedibus ejus.*
- 39 *Cauda draconis trahebat tertiam partem stellarum.*
- 40 *Et draco stetit ante mulierem.*
- 41 *Factum est prælium cum Michaële Archangelo.*
- 42 *Projectus est accusator fratrum vestrorum.*
- 43 *Vae terra, et mari, quia descendit diabolus ad vos.*
- 44 *Vidi aliam bestiam ascendentem de terra.*
- 45 *Et cantabant canticum novum.*
- 46 *Et habebat in manu sua falcem acutam.*
- 47 *Quartus Angelus effudit phialam suam in solem.*
- 48 *Ecce venio sicut fur.*
- 49 *Beatus qui vigilat, etc.*
- 50 *Beatus qui custodit vestimenta sua.*
- 51 *Et videant turpitudinem ejus.*
- 52 *Quantum glorificavit se, tantum date illi tormentum.*
- 53 *Beati qui ad cenam nuptiarum agni vocati sunt.*
- 54 *Exercitus, qui sunt in celo, sequebantur eum.*
- 55 *Habebat in vestimento, et in femore scriptum, etc.*
- 56 *Angelus ligavit draconem per mille annos.*
- 57 *Beatus qui habet partem in resurrectione prima.*
- 58 *Et regnabunt cum eo mille annis.*
- 59 *Post mille annos solvetur draco de carcere.*
- 60 *Et diabolus missus est in stagnum ignis.*
- 61 *Libri aperti sunt, & liber vite apertus est.*
- 62 *Et vidi celum novum, et terram novam.*
- 63 *Et erat structura muri ejus ex lapide.*
- 64 *Mensus est muros mensura hominis, que est Angeli.*
- 65 *Vide ne feceris, conservus tuus sum.*
- 66 *Ne signaveris verba prophetia hujus libri.*
- 67 *Qui nocet, noceat adhuc.*
- 68 *Qui audit, dicat: Veni.*
- 69 *Ego sum stella splendida et matutina.*

S.
GREGORII
PATERII
TOMI



INCIPIT EXPOSITIO

super Apocalypsim Beati Ioannis
Apostoli.

CAPUT I.

Apoc. 1. b Ioannes septem Ecclesijs qua sunt in Asia.

Per septenarium numerum universalis Ecclesia designatur. In expof. B. Job. 1. 23. c. 1. longe post med. 4. Reg. 4. Prov. 9.

SEPTENARIO numero solet universalitas designari. Unde Ioannes in hac Apocalypsi, septem Ecclesijs scribit. Sed per eas quid aliud quam universalem Ecclesiam intelligi voluit? Quae nimirum universalis Ecclesia, ut plena septiformis gratiae spiritui signaretur, Heliseus super puerum mortuum septies oscitasse describitur: super extintum quippe populum Dominus veniens, quasi septies oscitat: quoniam ei dona spiritus septiformis gratiae misericorditer aspirat. Septem igitur Ecclesijs scribit Apostolus Ioannes, ut unam Catholicam septiformis gratiae plenam spiritu designaret. Et de Domino novimus dixisse Salomonem: *Sapientia edificavit sibi domum, excidit columnas septem.* Qui ut id de septem Ecclesijs dixisse innotesceret, secutus etiam sacramenta ipsa diligenter inservit, dicens: *Immolavit victimas, & misit vinum, & proposuit mensam.* Per septem quippe columnas, omnes Ecclesias non inconvenienter accipimus, quae unam Catholicam faciunt toto terrarum orbe diffusam.

CAPUT II.

Apoc. 1. b Ego Ioannes fui in insula, que appellatur Pathmos, propter verbum Dei, et testimonium Iesu Christi. Fui in spiritu in Dominica die, et audivi post me vocem magnam tanquam tube dicentis: Quod vides, scribe in libro, et mitte septem Ecclesijs, que sunt in Asia, Epheso, et Smyrnae, et Pergamo, et Thyatirae, et Sardis et Philadelphiae, et Laodiceae. Et conversus sum, ut viderem vocem que loquebatur mecum. Et conversus vidi septem candelabra aurea, et in medio septem candelaborum, similem filio hominis vestitum podere, et praeinctum ad mamillas zonam auream.

De restringenda à cogitatione luxuria, amore charitatis. In expof. B. Job. 1. 24. c. 13. non prohibet. & 1. 21. c. 2. circa fin.

Malum luxuria, aut cogitatione perpetratur, aut opere. Per Moysen verò munditia luxuria damnatur cogitata, sicut ipse dicit: *Scriptum est: Non adulterabis. Ego autem dico vobis: quia omnis, qui videt mulierem ad concupiscendum eam, iam concubatus est eam in corde suo.* Redemptor quippe noster veniens, & legis praecepta transcendens ut ab electis suis non solum luxuriam carnis, sed etiam cordis aboleret, iussit non tantum lumbos carnis fuccingi, id est luxuriam ab effectu refranari, sed etiam lumbos mentis praecepit fuccingi, id est, hanc etiam à cogitatione restringi. Hinc est quòd Angelus, qui Joannem in Pathmos insula relegatum alloquitur, aurea zona super mamillas cinctus esse perhibetur. Solet enim nomine auri plerumque charitas intimari. Quia ergo testamenti munditia etiam luxuriam refranatur, Angelus, qui in eo apparuit, in pectore cinctus venit. Quem bene

A aurea zona restringit: quia quisquis supernae patriae, cuius est, non jam timore supplicij: sed amore charitatis immunditiam deserit. Vel ideo ad mamillas zona aurea cinctus Joanni Angelus apparuit, quia supernorum civium pectora, dum poenali jam nequaquam timori subiecta sunt, & à se vicissim nulla scissione solvuntur, ex sola charitate constringuntur. Zonam quippe auream circa mamillas habere, est cunctos mutabilium cogitationum motus per solius jam amoris vincula restringere.

CAPUT III.

Et Angelo Pergami Ecclesiae scribe.

Apoc. 2. c

SEPTE Scriptura sacra praedicatores Ecclesiae pro eo quòd gloriam patriae caelestis annunciant, Angelorum nomine solet designare. Hinc est quòd Joannes septem Ecclesijs scribens, Angelis Ecclesiarum loquitur, id est, praedicatoribus populorum. Hinc Propheta ait: *Angeli pacis amare seebunt.*

Per Angelos praedicatores designatur. In expof. B. Job. 1. 14. c. 7. circa med. Isaa 53.

CAPUT IV.

Scio ubi habitas, ubi sedes est Satanae.

Apoc. 2. d

Sic Dominus Deus vias omnium examinatione subtili considerat, ut in unoquoque nostrum, nec ea, quae remunerat bona, praetercat; nec mala, quae videlicet displicent, sine increpatione derelinquat. Hinc est quòd Angelum Pergami Ecclesiae in quibusdam Dominus laudat, & in quibusdam redarguit, dicens: *Scio ubi habitas, ubi sedes est Satanae: & tenes nomen meum, & non negasti fidem meam.* Et paulò post: *Sed habeo adversum te pauca, quia habes illic tenentes doctrinam Balaam.* Hinc Angelo Thyatirae dicitur: *Novi opera tua, & charitatem, & fidem, & ministerium, & sapientiam tuam, & opera tua novissima plena prioribus; sed habeo adversum te pauca: quia permittis mulierem Hiezabel, quae se dicit Propheten, docere, & seducere servos meos, & fornicari, & manducare idolothytum.* Ecce bona memorat, nec tamen rescandanda mala sine poenitentia relaxat: quia scilicet sic singulorum vias considerat, sic gressus enumerans pensat; ut examine subtili perpendat, vel quantum ad bona quisque proficiat, vel quantum ad mala devians, suis profectibus contradicat. Incrementum quippe meritum, quod bonae vitae studiis augetur, plerumque mali admixtione retrahitur; & bonum quod animus operando construit, hoc alia perpetrando pervertit.

De remuneratione bonorum operum, & ultione malorum. In expof. B. Job. 1. 21. c. 4. post med. Apoc. 2. Ibidem.

CAPUT V.

Habes illic tenentes doctrinam Balaam.

Apoc. 2. d

CAin, & Judas, & Simon, & alij multi longè ab Antichristi temporibus exiterunt, & tamen se ei perversè vivendo conjunxerunt. Sic iniquum corpus suo capiti, sic membris membra junguntur, & in cognitione se nesciunt, & tamen prava sibi actione copulantur. Neque enim Pergamus Balaam libros aut verba cognoverat, & tamen ejus nequitiam sequens, supernae vocem increpationis audiebat: *Habes illic tenentes doctrinam Balaam, qui docebat mittere Balac scandalum coram filiis Israel edere, & fornicari.* Thyatirae quoque Ecclesiam ab Hiezabel notitia, & tempora, & loca dividucent: sed quia eam par vitae reatus astrinxerat, inesse ei Hiezabel dicitur, atque perversis operibus infestare, Angelo attestante, qui ait: *Habeo adversum te aliqua: quia permittis mulierem Hiezabel, quae se dicit Propheten, docere, & seducere servos meos, &*

Membra Antichristi esse comprobantur, qui eum malè vivendo praeveniunt. In expof. B. Job. 1. 29. c. 6. sub init.

f. r. icari, & manducare de idolothysis. Ecce quia re-
periri poterant qui Hiezabel vitam aeterna reprobata
secuti sunt, Hiezabel illic inventa memoratur: quia
videlicet pravum corpus conjuncti mores unum faci-
unt, etiam si hoc loca vel tempora scindunt. Unde
fit, ut in perverfis suis imitatoribus & iniquis quis-
que maneat, qui jam praeterit, & in suis operatio-
nibus ipse iniquorum auctor jam appareat, qui nec-
dum venit. Hinc Joannes ait: *Nunc Antichristi
multi facti sunt, quia iniqui omnes jam membra ejus
sunt, quae scilicet perverse edita, caput suum male
vivendo praevenerunt.*

1. Joan. 2.

CAPUT VI.

Dabo tibi calculum candidum.

Apo. 2. c.

De cog-
nitione Dei
In expof. B.
Job. 1. 19. c. 2
Sub mir.

Videre perfecte coaeternam Dei sapientiam, hoc
est quod habere. Unde ad Joannem de mune-
re vincens dicitur: *Dabo tibi calculum candidum,
& in calculo nomen novum scriptum, quod nemo
scit, nisi qui accipit.* In hac enim vita scire aliquid,
vel videre possumus, etiam quod non accipimus ha-
bere. Nomen vero novum in calculo scriptum, id
est, in aeterno praemio notitiam Dei humanis men-
tibus inusitatam nemo potest scire, nisi qui hanc
etiam acceperit habere.

CAPUT VII.

Esto vigilans, et confirma cetera.

Apo. 3. c.

Anima hu-
mana sem-
per ad ima
relabatur,
nisi studio-
se ad sum-
ma nitatur.
Cura Pasf.
par. 3. c. 35.
post med.

Qui inchoata bona minime consummant, cauta
circumspectione debent considerare: quia dum
proposita non perficiunt, etiam quae fuerant caepa
convellunt. Si enim quod videtur gerendum, sol-
licita intentione non crescit, etiam quod fuerat
bene gestum, decrefcit. Hinc Sardis Ecclesiae ab
Angelo dicitur: *Esto vigilans, & confirma cetera,
quae moritura erant: non enim inveni opera tua plena
coram Deo meo.* Quia ergo plena coram Deo ejus
opera inventa non fuerant, moritura reliqua, quae
etiam erant gesta, praedicebat. Si enim quod mortu-
um in nobis est, ad vitam non accenditur, hoc
etiam extinguitur, quod quasi adhuc vivum tene-
tur. In hoc quippe mundo humana anima quasi
more navis contra fluminis ictum confcendens,
uno in loco nequaquam stare permittitur, quoniam
ad ima relabatur, nisi ad summa conetur. Si ergo
inchoata bona fortis operantis manus ad perfectio-
nem non sublevat, ipsa operandi remissio contra
hoc, quod operatum est, pugnat. Hinc est quod
per Salomonem dicitur: *Qui mollis & dissolutus in
opere suo fuerit, frater est sua opera dissipantis.* Quia
videlicet qui caepa bona districte non exequitur,
dissolutione negligentiae, manum destruentis imi-
tatur.

Prov. 18.

CAPUT VIII.

Qui vicerit, faciam illum columnam.

Apo. 3. c.

Boni re-
doctores co-
lumnae Ec-
clesiae vo-
cantur.
In expof. B.
Job. 1. 17. c.
17 sub mir.
Gal. 2.

Summi praedicatorum Ecclesiae, super quos in cae-
lestibus crescens universa spiritalis fabricae stru-
ctura surgit, columna vocantur, sicut Apocalypsis
Joannis testatur, dicens: *Qui vicerit, faciam illum
columnam in templo Dei mei.* Quisquis enim in Dei
opere recta intentione firmatur, columna in structu-
ra fabricae spiritalis erigitur, ut in hoc templo,
quod est Ecclesia, positus, & utilitati sit & decori.
De hujusmodi columnis loquitur Apostolus, dicens:
*Petrus, & Iacobus, & Ioannes, qui videbantur co-
lumnae esse, dexteris dederunt mihi.*

CAPUT IX.

Vinam frigidus esses, aut calidus. Apo. 3. c.

Qui bona incipiunt, nec ea perficiunt, debent
perpendere, quod tolerabilius potius esset se-
mitam rectam non arripere, quam post arre-
ptam, post tergum redire. Nisi enim retro respice-
rent, erga caeptum studium nullo torpore languerent:
audiant ergo quod scriptum est: *Vinam frigidus
esses, aut calidus: sed quia tepidus es, & nec frigidus,
nec calidus incipiam te evomere ex ore meo.*
Calidus quippe est, qui bona studia & arripit, &
consummat. Frigidus vero est, qui consummanda
nec inchoat: & sicut a frigore per teporem transitur
ad calorem, ita a calore per teporem reditur ad frigus.
Quisquis igitur, amisso infidelitatis frigore,
sed nequaquam tepore superato exardescit, ut fer-
veat, proculdubio calore desperato, dum noxio in
tepore demoratur, agit ut frigeat. Sed sicut ante
teporem frigus est sub spe, ita post frigus tepor in
desperatione. Qui enim adhuc est in peccatis, fidu-
ciam non amittit conversionis. Qui vero post con-
versionem tepor, spem, quae potuit esse, de pecca-
tore subtrahit: calidus ergo quisque, aut frigidus
esse queritur: ne tepidus evomatur, ut videlicet
aut necdum conversus adhuc de se spem conversio-
nis praebet, aut jam conversus in virtutibus inara-
descat; ne evomatur tepidus, qui a calore quem
propofuit, torpore ad noxium frigus redit.

Quam no-
xius sit re-
por in eis,
qui conversi
sunt ad
Deum.
Cura Pasf.
par. 3. c. 33
prope fin.

CAPUT X.

Dicis, quod dives sum. Apo. 3. c.

Egestas reproborum proprie dicitur, qui dum vi-
tutibus replentur, virtutum divitibus vacuantur. Qui
bus saepe contingit, ut per elationis dementia sub-
blevati, dum ruinam suam damna non considerant,
esse se etiam a bonis actionibus inopes non agnos-
cant. Unde voce Angeli praedicatori Laodiceae di-
citur: *Dicis, quod dives sum, & locupleatus, &
nullius ego: & nescis, quia tu es miser, & pauper, &
caecus, & nudus.* Quasi divitem se asserit, qui se
per arrogantiam extollit; sed pauper, caecus, &
nudus arguitur. Pauper utique, quia virtutum di-
vitiis non habet. Caecus, quia nec paupertatem,
quam patitur, videt. Nudus, quia primam sto-
lam perdidit; sed pejus, quia se nec perdidisse
cognoscit.

Pauperes
sunt, qui
virtutibus
carent.
In expof. B.
Job. 1. 34. c. 1
ante med.

CAPUT IX.

Suadeo tibi emere a me aurum ignitum. Apo. 3. c.

Per aurum sapientia intelligitur, de qua per Sa-
lomonem dicitur: *Thesaurus desiderabilis re-
quiescit in ore sapientis.* Aurum nempe sapientiam
vidit, quam thesaurum vocavit. Quae recte auri
appellatione signatur, quia sicut auro temporalia
ita sapientia bona aeterna mercantur. Quae igitur
aliquando per aurum sapientia intelligitur, praedi-
catori Laodiceae ab Angelo dicitur: *Suadeo tibi
emere a me aurum ignitum.* Aurum quippe emi-
mus, cum acceptum sapientiam prius obedientiam
praebemus: ad quem videlicet contractum nos qui-
dam Sapiens excitat, dicens: *Concupisti sapien-
tiam, serva mandata, & Dominus praebet illam
tibi.*

Quod per
obedientiam
sapientia
acquiritur.
In expof. B.
Job. 1. 41. c. 18
post med.
Prov. 24.

CAPUT XII.

Apoc. 3. d Collyrio inunge oculos tuos, ut videas.

Per bona opera cæcitas cordis sanari debet. Cura past. par. 1. c. 11. post med.

Lippus est, cujus ingenium ad cognitionem veritatis emicat, sed tamen hoc vitæ carnalis operatio prava obscurat: sensum natura exacuit, sed conversationis pravitas confundit. Cui bene per Angelum dicitur: *Collyrio inunge oculos tuos, ut videas.* Collyrio quippe, ut videamus, oculos inungimus, cum ad cognoscendam veri luminis claritatem intellectus nostri aciem medicamine bonæ operationis adjuvamus.

CAPUT XIII.

Apoc. 3. d Ego quos amo, arguo, & castigo.

De flagello divina percussio. In expof. B. Tob. 1. 18. c. 13. sub init. Hebr. 12.

Omnis divina percussio, aut purgatio in nobis est vitæ præsentis, aut initium pænæ sequentis. De his, qui ex flagello proficiunt, Dominus ipse voce Angeli ad Joannem ait: *Ego quos amo, redarguo, & castigo*, sicut alibi dicitur: *Quem diligit Deus, castigat: flagellat autem omnem filium quem recipit.* E contra de flagello damnationis per Hieremiam Dominus dicit, dum incorrigibiliter delinquentes populos videt, quos non jam sub disciplina filios, sed sub districta percussione hostes intuetur: *Plaga inimici percussit te, castigatione crudeli.* Hos enim damnant flagella, & non liberant: his flagella ab hac vita inchoant, & in æterna percussione perdurant. Unde per Moysen Dominus dicit: *Ignis exarsit ab ira mea, & ardebit usque ad inferos deorsum.* Quantum ad præsentem etenim percussio spectat, rectè dicitur, ignis exarsit ab ira mea, quantum ad æternam damnationem, aptè mox subditur: *Et ardebit usque ad inferos deorsum;* licet à quibusdam dici soleat illud, quod juxta septuaginta interpretes, in Naum Propheta scriptum est: *Non vindicabit Deus bis in idipsum.* Qui tamen hoc, quod per Hieremiam Prophetam de iniquis dicitur, non attendunt: *Et duplici contritione contere eos, & id, quod alibi scriptum est: Iesus populum de terra Aegypti salvans: secundo eos, qui non crediderunt, perdidit.* Quibus tamen si consensum præbemus, quamlibet culpam bis feriri non posse, hoc ex peccato percussis, & in peccato suo morientibus debet æstimari: quoniam eorum percussio hinc cæpta, illic perficitur, ut in correctis unum flagellum fit, quod temporaliter incipit: sed in æternis suppliciiis consummatur, quatenus eis, qui omnino corrigi renuunt, jam præsentium flagellorum percussio, sequentium fit initium tormentorum. Unde hoc semper electi prævident, ut antè ad justitiam redeant, quam sese ira judicis inextinguibiliter accendat: ne ultimo flagello deprehensi, simul eis finiatur vita cum culpa. Flagellum namque tunc diluet culpam, cum mutaverit vitam: nam cujus mores non mutat, non expiat actiones.

CAPUT XIV.

Apoc. 3. d Qui vicerit, dabo ei sedere mecum.

De scilicet sancti cum Christo iudicantur. In exp. B. Tob. 1. 26. c. 21. cir. med.

Sancti viri, qui nunc justè & irreprehensibiliter vivunt, in futuro iudicandi potentiam nanciscuntur. Hinc Laodicensi Ecclesie Dominus dicit: *Qui vicerit, dabo ei sedere mecum in throno meo: sicut & ego vici, & sedi cum Patre meo in throno ejus.* Vincens Dominus in throno cum Patre sedisse se asserit; quia post passionis certamina, post resurrectionis palmam, claris se omnibus, quòd potestati Patris esset æqualis indicavit, eique se non disparerem, calcato mortis aculeo innouit. Unde &

A Mariæ necdum se credenti, se Patris similem dicit: *Noli me tangere, nondum enim ascendi ad Patrem* *Joan. 20. memm.* Nobis in throno filij sedere, est ejusdem filij potestate judicare. Quia enim iudicij principatum ex ejus virtute percipimus, velut in ejus throno residemus. Nec abhorret à vero, quòd alibi super duodecim thronos sessuros testatur esse discipulos: hinc autem in throno suo perhibet esse sessuros. Per thronos quippe duodecim, universale iudicium: per thronum verò filij, singulare culmen iudicariæ potestatis ostenditur. Hoc ergo duodecim thronis, quod uno throno filij designatur: quia videlicet universale iudicium ex nostris Mediatoris interventione percipitur.

CAPUT XV.

B Et ecce sedes posita erat in calo: & supra sedem sedens. Et in circuitu sedis quatuor animalia plena oculis ante & retro.

De significationibus quatuor animalium. In exp. B. Tob. 1. 31. c. 19. non præcul à princ.

Ezechiel Propheta, dum sub animalium specie quatuor Evangelistas se vidisse describeret, in eis sibi hominis, leonis, bovis, & aquilæ faciem apparuisse testatur. Cui nimirum prophetica sententiæ ipse Joannes quoque in hac revelatione sua non dissonat: dicens: *Animal primum simile leoni, secundum animal simile vitulo, tertium animal habens faciem hominis, quartum animal simile aquilæ volanti.* Hæc quatuor animalia singula ad unumquemque Evangelistam rectè conveniunt, dum alius humanæ nativitatis ordinem, alius per mundi sacrificij maturationem, quasi vituli mortem: alius potestatis fortitudinem, quasi leonis clamorem infinuat: alius nativitatis ordinem, quasi solem ortum aquilæ aspectat. In Scriptura sacra aliquando vocabulo aquilæ, vel subtilis Sanctorum intelligentia, & sublimis eorum contemplatio figuratur, vel incarnatus Dominus ima celeriter transvolans, & mox summa repetens designatur: per quartum igitur animal, id est aquilam, quæ cunctarum avium visum acie superat, ita ut solis radius fixos in se ejus oculos nulla lucis suæ coruscatione reverberans, claudat, Joannes significatur, qui volando, terram deseruit: quia per subtilem intelligentiam, interna mysteria Verbi videndo penetravit. Possunt præterea hæc quatuor animalia ipsam suam caput, cujus sunt membra, signare. Ipse namque homo est, quia qui naturam nostram veraciter suscepit; & vitulus, quia pro nobis patienter occubuit; & leo, quia per divinitatis fortitudinem susceptæ mortis vinculum rupit; & ad extremum aquila, quoniam ad cælum, de quo venerat, rediit. Homo igitur nascendo, vitulus moriendo, leo resurgendo, aquila ad cælos ascendendo vocatus est. Possunt etiam sancti per hæc animalia designari: quoniam alius cuncta rationabiliter agendo fit homo: alius in passionibus fortis, adversa mundi non timendo fit leo: alius per abstinentiam, semetipsum vivam hostiam offerendo fit vitulus: alius se in alta rapiendo contemplationis E volatu fit aquila.

CAPUT XVI.

Apoc. 4. c Et quatuor animalia singula eorum habebant alas senas, et in circuitu, et intus plena sunt oculis.

Omnès sancti foris se, intusque circumspiciunt, De circum & vel reprehendendos se exterius, vel iniquos spectione se interius videri invisibiliter timent. Hinc est quòd animalia, quæ per Joannem videntur, in circuitu, in expof. B.

106. l. 19. c. 9
circ. med.

& intus plena oculis esse memorantur. Quisquis enim exteriora sua honestè disponit, sed interiora negligit, in circuitu oculos habet, sed intus non habet. Sancti verò omnes, quia & exteriora sua circumspiciunt, ut bona de se exempla fratribus præbeant, & interiora sua vigilanter attendunt: quia sese irreprobabiles interni iudicis obtutibus parant, & in circuitu oculos & intus habere perhibentur.

CAPUT XVII.

Apoc. 4. c. Et requiem non habebant die ac nocte dicentia: Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus Deus omnipotens, qui est, et venturus est.

De sancta Trinitate in una deitate. Hom. 16. in Ezec. ante med.

Considerandum est, quòd una fuit fides veterum ac novorum patrum, & omnipotentem Deum Trinitatem esse crediderunt. Ecce Joannes in revelatione sua dicit quatuor animalia in celo clamantia: Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus omnipotens. Ut enim personarum Trinitas monstraretur, tertio Sanctus dicitur: Sed ut una esse substantia Trinitatis appareat, non Dominus Dei, sed Dominus esse perhibetur. Quod David quoque similiter sententias, ait: Benedicat nos Deus, Deus noster, benedicat nos Deus. Qui cum tertio dixisset Deus, ut unum hunc esse ostenderet, subdidit: *Ut metuant eum omnes fines terra.* Paulus quoque loquitur dicens: *Quoniam ex ipso, & per ipsum, & in ipso sunt omnia.* Ex ipso, videlicet ex Patre. Per ipsum, per Filium. In ipso autem, in Spiritu sancto. Quem ergo ipsum tertio dixisset, manifestans adjunxit: *ipsi gloria in secula seculorum, Amen.* Qui enim non dixit ipsis, sed ipsi, dicendo ter ipsum, distinxit personas, & subjungendo, ipsi gloria, non divisit substantiam.

psal. 66.

Rom. 11.

CAPUT XVIII.

Apoc. 4. d. Et cum darent illa quatuor animalia gloriam et honorem, et benedictionem sedenti super thronum, viventi in secula seculorum, procidebant viginti quatuor seniores ante sedentem in throno, et adorabant viventem in secula seculorum, et mittebant coronas suas ante thronum Dei.

Quod attribuentium sit gratia Dei quidquid boni agimus. In exp. B. 106. l. 22. c. 1 circ. fin.

Sancti viri quidquid in se boni inspiciunt, immortalis gratia donum esse cognoscunt, eique de accepto munere debitores fiunt, qui & præveniendò dedit eis bonum velle, quod noluerant, & subsequendo concessit homini posse quod volunt. Unde bene per Joannem dicitur: *Adoraverunt viventem in secula seculorum, mittentes coronas suas ante thronum Dei.* Coronas namque suas ante thronum Dei mittere, est certaminum suorum victorias, non sibi tribuere sed auctori, ut ad illum referant gloriam laudis, à quo se sciunt vires accepisse certaminis. Auctoris enim sui gratiam negare convincitur, quisquis sibi tribuit quod operatur. Et Deum negat, cujus despecta gratia, sibi vires boni operis arrogat. Omne autem peccatum, quod ex infirmitate est, spem nequaquam perdit: quoniam à superno iudice veniam requirit. Præsumptio verò virtutis propria tantò gravius est in desperatione, quantò longius ab humilitate. Cumque vires sibi tribuit operis, ad adiutorium non recurrit auctoris, fitque ut eò gravius peccator pereat, quòd & ipsum hoc, quia peccator est, ignorat.

ut.

CAPUT XIX.

Et vidi in dextera sedentis super thronum, apoc. 5. a librum scriptum intus & foris, signatum sigillis septem.

Per librum, qui est in dextera sedentis super thronum, Scripturæ sacræ paginæ signantur: quæ profunditate sententiarum sic clauduntur, ut non facile sensu omnium penetrentur. Qui liber sacri eloquij intus scriptus est per allegoriam, foris per historiam; intus per spiritualem intellectum, foris verò per sensum litteræ simplicem, adhuc infirmitatibus congruentem. Intus, quoniam invisibilia promittit, foris quia visibilia præceptorum suorum rectitudine disponit. Intus, quia cælestia pollicetur, foris autem quia terrena & contemptibilia, qualiter sint vel in usû habenda, vel ex desiderio fugienda, præcipit. Alia namque de secretis cælestibus loquitur, alia verò in exterioribus actionibus jubet. Et ea quidem, quæ foris præcipit, patent: sed illa, quæ de internis narrat, planè deprehendi nequeunt. Ea enim, quæ de natura divinitatis, vel de æternis gaudiis narrat, nobis adhuc nescientibus, solis Angelis in secreto sunt cognita. De quibus tamen occultis jam partem per spirituales intelligentiam sentimus, jam sancti Spiritus pignus accepimus, quoniam hæc & plenè necdum cognovimus, & tamen medullitus amamus, & in multis spiritualibus sensibus, quos jam cognovimus, veritatis pabulo pasчимur. Dicat ergo, qui erat scriptus intus & foris: quoniam in sacro eloquio dictis occultioribus, atque sublimioribus foris fatiantur, & præceptis apertioribus nos parvuli nutrimur.

Qualiter sacra Scriptura fortes satiat, & parvulos nutrit. Hom. 9. in Ezec. longe post med. multum in terjedis.

CAPUT XX.

Et vidi Angelum fortem prædicantem voce magna: Quis est dignus aperire librum, & solvere signacula ejus? Et nemo poterat neque in celo, neque in terra, neque subius terram aperire librum, neque respicere illum. Et ego stebam multum: quia nemo dignus inventus est aperire librum.

Hunc librum signatum septem sigillis, postmodum per leonem de tribu Juda dicit Joannes aperiri. In quo videlicet libro quid aliud, quam sacra Scriptura signatur? Quam solus Redemptor noster aperuit, qui homo factus moriendo, resurgendo, ascendendo, cuncta mysteria, quæ in ea fuerant clausa, patefecit. Et nullus in celo, quia neque Angelus. Nullus in terra, quia neque homo vivens in corpore. Nullus subius terram dignus inventus est: quia neque animæ corpore exuta aperire nobis præter Dominum sacri eloquij secreta potuerunt. Præterea cum ad solvendum librum, nullus subius terram inventus esse dignus dicitur, quid obstat non video, ut sub terra infernus esse credatur.

Solis Redemptor potuit aperire mysteria sacre Scripturæ. Dial. 4. c. 42. circa med.

CAPUT XXI.

Et unus de senioribus dixit mihi: Ne flevetis. Ecce vicit leo de tribu Juda, radix David aperire librum, et septem signacula ejus.

Sacræ Scripturæ profunditas est quasi puteus, De aperitione libri. Quam nobis ad irrigationem mentis præbuit omnipotens Deus. Et ut ad intelligentiam Scripturæ

rarum perveniremus, facta est nobis via, humilitas A passionis Unigeniti; per quam nobis apertum est hoc, quod prius latenter Scripturæ sacræ fluentia loquebantur. Nisi enim unigenitus Dei filius incarnatus, tentatus, apprehensus, colaphis cæsus, sputis illitus, crucifixus, ac mortuus fuisset, nobis hujus putei, id est sacræ Scripturæ, profunditas non pateret. Quid ergo fidelibus humilitas passionis ejus via facta est, nisi clavis apertionis, per quam mysteriorum Dei puteum invenimus, ut aquam scientiæ de profundo biberemus? Incarnationem quippe, Passionem, Mortem, Resurrectionem, & Ascensionem illius sacri eloquij paginæ loquuntur. Quæ quia facta cognovimus, jam nunc intelligimus audita. Hæc autem prius legi poterant, sed quia nondum evenerant, intelligi non valebant. Unde & per Joannem dicitur: *Vicit leo de tribu Juda aperire librum, & solvere signacula ejus.* Ipse enim librum aperuit, & signacula ejus solvit, qui nascendo, moriendo, resurgendo, & ad cælos ascendendo Scripturæ sacræ nobis arcana patefecit.

CAPUT XXII.

Et vidi, & ecce in medio throni, & quatuor animalium, & in medio seniorum agnum stantem tanquam occisum, & venit, & accepit de dextera sedentis in throno librum. Et cum aperuisset librum, quatuor animalia & vigintiquatuor seniores ceciderunt coram agno, & cantabant canticum novum, dicentes: Dignus es, Domine, accipere librum, & aperire signacula ejus, quoniam occisus es, & redemisti nos Deo nostro in sanguine tuo.

Nemo judicet indignum incarnatum Dominum posse per agnum figurari, cum constet omnibus, quia per significationem quandam in Scriptura sacra, & vermis, & scarabeus ponitur: sic enim scriptum est: *Ego autem sum vermis, & non homo.* Vel sicut apud septuaginta Interpretes per Prophetam dicitur: *Scarabeus de ligno clamavit.* Cum ergo nominatis rebus tam abjectis & vilibus figuratur, quid de illo contumeliosè dicitur, de quo constat quod propriè nil dicatur? Vocatur itaque agnus, sed propter innocentiam: vocatur leo, sed propter potentiam: aliquando etiam serpenti comparatur, sed propter mortem vel sapientiam: atque de eo per hæc omnia dici figuratè potest: quia de his omnibus credi aliquid essentialiter non potest. Si enim unum horum quodlibet essentialiter existeret, alterum jam dici non posset. Nam si agnus propriè diceretur, leo jam vocari non posset: si leo propriè diceretur, serpente signari non posset. Sed hæc in illo omnia dicimus tantò latius in figura, quantò longius ab essentia.

CAPUT XXIII.

Et vidi, & audivi vocem Angelorum multorum in circuitu throni, & animalium, & seniorum, & erat numerus eorum millia millium, voce magna dicentium: Dignus est agnus, qui occisus est, accipere virtutem, & divinitatem, & sapientiam, & fortitudinem, & honorem, & gloriam, & benedictionem.

Liter loquitur Deus ad Angelos, & aliter Angelis ad Deum. Deus Angelis loquitur, cum eis voluntas ejus intima videndo manifestatur. Angeli S. Greg. Tom. III.

autem loquuntur Domino, cum per hoc quod super semetipsum respiciunt, in motum admirationis surgunt, loquuntur ad Deum, sicut per Joannem dicitur: *Dignus est agnus, qui occisus est, accipere virtutem, & divinitatem & sapientiam:* vox namque Angelorum, est in laude Conditoris, ipsa admiratio intimæ contemplationis, virtutis divinæ miracula obstupuisse, dixisse est: quoniam excitatus cum reverentia motus cordis, magnus est ad aures incircumscripti spiritus clamor vocis. Quæ vox se quasi per distincta verba explicat, dum sese per innumeros modos admirationis format.

CAPUT XXIV.

Et cum aperuisset sigillum quintum, vidi sub altare animas interfectorum propter verbum Domini, & propter testimonium quod habebant, & clamabant voce magna, dicentes: Usquequò, Domine, sanctus, & verus non judicas, & vindicas sanguinem nostrum de his, qui habitant in terra?

Liter Deus ad animas sanctorum, aliter anime sanctorum loquuntur ad Deum. Quid est enim animas vindictæ petitionem dicere, nisi diem extremi judicij, & resurrectionem extinctorum corporum desiderare? Magnus quippe clamor earum magnum est desiderium. Tantò enim quisque minus clamat, quantò minus desiderat: & tantò majorem vocem in aures incircumscripti spiritus exprimit, quantò se in ejus desiderium plenius fundit; animarum igitur verba, ipsa sunt desideria. Nam si desiderium sermo non esset, Propheta non diceret: *Desiderium cordis eorum audivit auris tua:* sed cum aliter moveri soleat mens, quæ petit, aliter quæ petitur: & sanctorum animæ ita in interni secreti sinu Deo inhæcant, ut inherendo requiescant, quomodo dicuntur petere, quas ab interna voluntate constat nullatenus discrepare? Quomodo dicuntur vindictam desiderare, quas, & voluntatem Dei certum est, & ea, quæ futura sunt, non ignorare? Sed in ipso positæ, ab ipso aliquid petere dicuntur: non quòd quidquam desiderant, quod ab ejus, quem cernunt, voluntate discordat, sed quòd Deo mente ardentius inhærent, eò etiam de ipso accipiunt, ut ab ipso petant, quod eum facere velle noverunt. De ipso ergo bibunt, quod ab ipso sicut; & modò nobis adhuc incomprehensibili in hoc, quod petendo esuriunt, præciendo satiantur. Discordarent igitur à voluntate Conditoris, si quæ vident eum velle, non peterent, eique minus inhererent, si volentem dare, desiderio pigriori pullarent.

CAPUT XXV.

Et data sunt illis stola alba.

Joannes, qui in revelatione sua ante resurrectionem corporum, clamantes sanctorum animas vidit, eas accepisse stolas singulas aspexit: ante resurrectionem quippe sancti stolas singulas accepisse dicuntur, qui sola adhuc animarum & mentis beatitudine perfruuntur. In fine verò mundi binas accepturi sunt: quia cum mentis beatitudine, etiam carnis gloriam possidebunt: & cum animarum perfectio gaudio, etiam corporum incorruptione vestientur. Unde bene per Prophetam dicitur: *In terra sua duplicia possidebunt.* Sancti quippe in terra viventium duplicia possident: quia nimirum beatitudine mentis simul & corporis gaudent, & non solum animarum gaudium, sed etiam beatitudinem habebunt corporum.

CAPUT XXVI.

Apoc. 5. c Et dictum est illis, ut requiescerent tempus adhuc modicum, donec impleretur numerus conservorum, & fratrum eorum.

De vi divine locutionis ad animas Sanctorum. *In expos. B. Job. l. 2. c. 4. post m. d.*
Desiderantibus animabus, requiescite adhuc modicum dicere, est inter ardorem desiderij ex ipsa presentia solatium consolationis aspirare: ut & animarum vox sit, hoc quod amantes desiderant, & respondentis Dei sermo sit, hoc quod eas retributionis certitudine inter desideria confirmat. Respondere ergo ejus, est ut collectionem fratrum expectare debeant, eorum mentibus libenter expectandi moras infundere: & cum carnis resurrectionem appetunt, etiam ex colligendorum augmento fratrum gratulentur.

CAPUT XXVII.

Apoc. 5. c Et cum aperuisset sigillum sextum, ecce terre radius factus est magnus: & sol factus est niger tanquam saccus cilicinus.

Per solem prædicatoris claritas designatur. In extremo quippe tempore, sol quasi saccus cilicinus ostenditur, quia fulgens vita prædicantium ante reprobatorum oculos aspera & despecta monstratur. *In expos. B. Job. l. 9. c. 3. in princ.*

CAPUT XXVIII.

Apoc. 7. c Post hac vidi turbam magnam, quam dinumerare nemo poterat, ex omnibus Gentibus, & tribubus, & linguis, & populis, stantes ante thronum, & in conspectu agni amicti stolis albis, & palme in manibus eorum.

De victoria martyrum. *Hom. 17. in Ez. ech. long. post med. & non princ. a fin.*
Quid per palmas, nisi præmia victoriae designantur? Ipsæ quippe dari vincenibus solent: illos itaque qui in certamine martyrij antiquum hostem vicerant, & victores in patria gaudebant, palmas in manibus habere, est victorias in operatione tenuisse. Cujus operationis palma ibi retribuetur, ubi jam sine certamine gaudetur.

CAPUT XXIX.

Apoc. 8. a Et cum aperuisset sigillum septimum, factum est silentium in celo quasi media hora.

De secreta cordis humani quiete. *In expos. B. Job. l. 30. c. 11. ante med. & Hom. 14. in Ez. ech. suis procul a fin.*
Nihil prodest solitudo corporis, si solitudo defuerit cordis. Qui enim corpore remotus vivit, se tumultus conversationis humane terrenorum desideriorum cogitatione se inferit, non est in solitudine. Si verò prematur aliquis corporaliter populis turbis, & tamen nullos curarum secularium tumultus in corde patitur, non est in urbe. Itaque bene conversantibus, primum solitudo mentis tribuitur, ut exurgentem intrinsecus strepitum terrenorum desideriorum premant, ut ebullientes ab infimis curas cordis per superni gratiam restringant amoris: omnesque motus importunè se offerentium levium cogitationum, quasi quasdam circumvolantes, muscas ab oculis mentis abigant manu gravitatis: & quoddam sibi cum Domino intra se secretum quarant; ubi cum illo, exteriore cessante strepitu, per interna desideria silenter loquantur. De hoc secreto cordis dictum est: Factum est silentium in

A calo. quasi media hora. Cælum quippe est anima justis, sicut per Prophetam Dominus dicit: Cælum mihi sedes est. Et: Cæli enarrant gloriam Dei. Anima itaque justis, dum ad æterna sublimia per sublevationem contemplationis intendit, surgentes ab infimis cogitationum tumultus premit, & intra se Deo quoddam silentium facit. Cùm ergo quies contemplativa vitæ agitur in mente, silentium fit in celo: quia terrenorum actuum strepitus quiescit à cogitatione, ut ad secretum intimum aures animus apponat. Sed quia hoc silentium contemplationis, & hæc quies mentis in hac vita non potest esse perfecta, nequaquam horâ integrâ factum in celo silentium dicitur, sed quasi mediâ, ut nec media plene sentiantur, dum præmittitur, quasi: quia mox ut se animus sublevare cœperit, & quietis intimæ lumine perfundi, redeunte motu cogitationum, & stupidus de semetipso confunditur, & confusus cæcatur. Nolenti quippe animo cogitationum tumultuosi se strepitus ingerunt, & jam sublimibus intendentem, rursum ad respicienda terrena cordis oculum violenter trahunt. Unde scriptum est: Corpus, quod corrumpitur, aggravat animam: & deprimit terrena inhabitatio sensum multa cogitantem. Bene ergo factum hoc silentium non integra, sed media hora describitur: quoniam hæc contemplatio nequaquam perficitur, quamvis ardentem inchoetur.

CAPUT XXX.

Apoc. 9. d Et vidi equos in visione, & capita eorum erant tanquam capita leonum: & tertia pars hominum occisa est igne, & sulphure, & fumo, qui procedebant de ore ipsorum. Potestas enim equorum in ore ipsorum est, & in caudis eorum.

De potestate, & prædicatione Antichristi. In expos. B. Job. l. 33. c. 23. circa med.
Antichristus veniens ipsas etiam summas humani sæculi potestates obtinebit: qui duplici sæviens errore, conabitur ad se corda hominum, & missis prædicatoribus trahere, & commotis potestatis inclinare. Prædicator quidem ministrorum ejus facile despici ab auditoribus poterit: sed hanc ante humana judicia adjunctus potestatum secularium terror exaltat. Nam quos illi appetent loquendo seducere, multi potentium studebunt, sæviendo, & affligendo terrere. Quale itaque illud persecutionis tempus apparebit, quando ad pervertendam fidelium pietatem, alij verbis faciunt, alij gladiis? Quis enim etiam infirmus Antichristi prædicator non despiceret, si non eos per circuitum potestatum secularium terror munitur? Sed duplici contra eos calliditate ageretur, quia quod eis ab aliis verbis blandientibus dicitur, hoc ab aliis gladiis ferientibus imperabitur. Quæ utrumque actio, id est, potentium atque loquentium, in Apocalypsi Joannis brevi est sententia comprehensa, qua dicitur: Potestas equorum in ore ipsorum, & in caudis erat. Equi nomine prædicator in sacra Scriptura aliquando intelligitur. In ore itaque Doctorum scientia, in cauda verò secularium potentia figuratur. Per caudam quippe, quæ retrò est, hujus sæculi postponenda temporalitas designatur, de qua Paulus Apostolus dicit: Unum autem, quæ retro sunt, oblitus; ad ea, quæ ante sunt, extensus: retro est enim omne, quod transit: ante verò est omne, quod veniens permanet. Illis igitur equis, id est, nequissimis prædicatoribus ubique carnali impulsu currentibus, in ore & in cauda potestas est: quia ipsi quidem perverfa suadendo prædicant, sed temporalibus potestatis fulti, per ea se, quæ retro sunt exaltant. Et quoniam ipsi apparere despicabiles possunt,

ab iniquis auditoribus suis, per eos sibi reverentiam exigunt, quorum patrociniis fulciuntur. Multis quippe terroribus agitur: ut in perverfis eorum prædicationibus, etsi non veritatis sententia, certè temporalis potentia timeatur.

CAPUT XXXI.

Apoc. 10. a Et vidi alium Angelum descendentem de celo amictum nube, & iris in capite ejus: & habebat in manu sua librum apertum.

De aperture libri. Dial. l. 4. c. 42. Apoc. 10. Iste liber, qui hîc apertus videri legitur, paulò superius signatis sigillis septem videtur: de quo etiam beato Joanni dicitur: *Ecce vici leo de tribu Juda, radix David aperire librum.* In quo videlicet libro, quid aliud quàm sacra Scriptura signatur? Quam solus Redemptor noster aperuit, qui homo factus, moriendo, resurgendo, ascendendo, cuncta mysteria, quæ in ea fuerant clausa, patefecit.

CAPUT XXXII.

Apoc. 10. b Et levavit Angelus manum suam in caelum: & juravit per viventem in secula seculorum: quia tempus non erit amplius.

De transitu temporis, & defectu imperiorum. In expof. B. Job. l. 4. c. 7. circ. med. Psal. 77. Tempus nostræ mutabilitatis, ita quandoque transiturum est, ut penitus non sit, Angelo in sacro eloquio attestante, qui ait: *Per viventem in secula, quia tempus jam non erit:* Nam etsi Propheeta dicit: *Erit tempus eorum in æternum:* quia per momenta tempus deficit, nomine temporis eorum defectum vocavit: ostendens quod sine fine omnimodo defectu deficiunt hi, qui à visionis intimæ consolatione separantur.

CAPUT XXXIII.

Apoc. 10. c Et abij ad Angelum, dicens: Vt daret mihi librum.

Quod Scriptura sacra cibus sit in obscuro sententis, & potus in apertis. Hom. 10. in in Ezech. sub init. Amos 8. ET dixit mihi: *Accipe librum, & devora illum.* Scriptura sacra, cibus & potus est, unde etiam per Prophetam alium Dominus minatur: *Mittam famem in terram, non famem panis, neque sitim aquæ, sed audiendi verbum Domini.* Qui ergo subtrahit suo eloquio fame ac siti nos dicit atteri: quia ejus verba, & cibus noster, & potus sint, demonstrat. Sed notandum est quòd aliquando cibus, aliquando sunt potus. In rebus enim obscurioribus, quæ nequeunt intelligi, nisi exponantur, Scriptura sacra cibus est: quia quidquid exponitur, ut intelligatur, quasi manditur, ut glutiat. In rebus autem apertioribus potus est. Potum enim non mandendo glutimus. Apertiora ergo mandata bibimus: quia etiam non exposita intelligere valemus. Pro eo autem quòd Joannes obscura multa & perplexa auditurus est, nequaquam ei de sacro libro dicitur: *Bibe, sed, Devora, & comede.* Ac si diceretur: *Petracta, & intellige, id est, priùs mande, & tunc degluti.*

CAPUT XXXIV.

Apoc. 10. d Et accepi librum de manu Angeli, et devoravi illum: et erat in ore meo dulce tanquam mel.

De studio & medita- Librum devoramus, cum verba vitæ cum aviditate sumimus. In quo devorationis verbo, quid S. Greg. Tom. III,

aliud quàm torpor pigrity nostræ reprehenditur, verba Domini atque mysteria, & per nosmetipsos non requirimus, & dicta ab aliis audimus inviti? Librum ergo devoramus & comedimus, dum verbum Dei legimus: multi autem legunt, & ab ipsa lectione jejuni sunt: multi vocem prædicationis audiunt, sed post vocem vacui & jejuni recedunt: quia etsi mente intellectum sacri eloquij percipiunt, obliviscendo, & non servando, quæ audierint, hæc in cordis visceribus non reponunt. Legunt autem, & jejuni à lectione non sunt, qui intelligunt & referant ea, in quibus laborant. Sæpe enim quosdam vidimus tota se mente ad sacræ lectionis studium contulisse, atque inter verba Dominica recognoscences, in quantis deliquerint, semetipsos in lacrymis macerare, mœrore continuo afficere, in nullis hujus mundi prosperitatibus delectari: ita ut eis vita præfens oneri, & lux ipsa fastidium fieret: vix ad colloquendum communia admittere, atque à rigore discipline animum difficilè relaxare, pro amore Conditoris, luctu solummodo & silentio gaudere. Hi sanctum librum devorant, & comedunt, & jejuni non sunt: quia præcepta vitæ, quæ sensus capere potuit, memoria non amisit; sed hæc collectus in Deo animus legendo, & recolendo servavit. Et fit plerumque, ut tales quique ex dono gratiæ cælestis, etiam verbum doctrinæ percipiant, atque de veritatis pabulo quod ipsi dulciter nutriti secus ruminant, proximos suaviter pascant. De quorum profectò ore prædicatio tantò audientibus dulcis est, quantò eorum actio contraria suis prædicationibus non est: quia de propria vita sumunt, quod per linguam proximo conferunt. Unde rectè dicitur: *Et devoravi illum: & erat in ore meo dulce tanquam mel.* Liber, qui comeditur, & devoratur, dulcis in ore sicut mel factus est: quia ipsi sciunt de omnipotente Domino suaviter loqui, qui didicerint hunc in cordis sui secreto veraciter amare. In ejus quippe ore Scriptura sacra dulcis est, cujus vitæ viscera mandatis illius replentur: quoniam ei suavis est ad loquendum, cui interiùs impressa fuerit ad vivendum. Nam sermo Dei dulcedinem non habet, quem vita reproba intra conscientiam remordet. Unde necesse est, ut qui verbum Dei loquitur, priùs studeat scire qualiter vivat: ut post ex vita colligat, quæ & qualiter dicat: ad prædicandum namque plus conscientia sancti amoris ædificat, quàm exercitatio sermonis: quoniam amando cælestia intra semetipsum prædicator legit quomodo persuadeat, ut despici debeant terrena. Qui enim vitam suam interiùs pensat, & exemplo suo foris admonendo alios ædificat, quasi in corde linguæ calamum tingit, in eo quòd manu verbi proximis exteriùs scribit. Inde admirabilis Prædicator, cum multa discipulis exhortando dixit, quia nullam intra semetipsum de conscientia contrarietatem pertulit, secutus adjunxit: *Si qua virtus, si qualis disciplina, hæc cogitare, qua & didicistis, & accepistis, & audistis, & vidistis in me: hæc agite, & Deus pacis erit vobiscum.*

CAPUT XXXV.

Et cum devorasssem librum, amaricatus est venter meus. *Apoc. 10. d*

IN sacro eloquio nonnunquam venter pro mente poni consuevit. Unde Hieremias dicit: *Ventrem meum doleo.* Ventrem quippe doluit, qui mentis afflictionem sensit. Hinc etiam Veritas ait: *Qui credit in me, flumina de ventre ejus fluent aqua viva.* Quia enim de mente fidelium sanctæ prædicationes defluunt, quasi de ventre credentium aquæ vitæ flumina decurrunt. Sed querendum est,

Quid in nobis agat memoria, & meditatio verbi Dei. *Hom. 10. in Ezech. promul. à princ.*

Hier. 4. Apoc. 10. Ibidem.

cum superius de libro, quem acceperat, scriptum sit: Et erat in ore meo dulce tanquam mel, qua ratione postmodum dicitur: Et cum devorarem librum, amaricatus est venter meus? Mirum quippe est valde, si dulcedo simul conveniant & amaritudo. Sed sciendum est, quia cui sermo Dei in ore cordis dulcis esse cœperit, hujus proculdubio contra semetipsum anima amarefcit. Quod enim in illo subtiliter discit, qualiter se reprehendere debeat, eò se durius per amaritudinem pœnitentiæ castigat: quia tantò magis sibi displicet, quantò amplius in sacro libro de omnipotente Deo videt quod amet.

CAPUT XXXVI.

Apoc. 10. d Et dixit mihi Angelus: Oportet te iterum prophetare populis, & gentibus, & linguis, et regibus multis.

Qua de causa divina eloquia discernere debemus. Hom. 10. in Exech. non procul à princ.

IN verbis sacri eloquij, iste debet studij nostri ordo servari: ut hæc ideo cognoscamus, quatenus de iniquitate nostra compuncti, cognoscentes mala, qua fecimus, vitemus, ne alia faciamus. Et cum jam ex magno usu lacrymarum de peccatorum remissione cœperit esse fiducia, per verba Dei, quæ intelligimus, ad vitam quoque & alios trahamus. Ad hoc enim intelligenda sunt, ut & nobis profint, & intentione spirituali aliis conferantur. Unde bene postquam Angelus dixit beato Joanni: Accipe librum, & devora illum; paulò post subdidit: Oportet te prophetare populis, & gentibus, & linguis, & regibus multis. Ac si ei de sacro cibo diceretur: Comede, & pasce; fatiare, & eructa: accipe, & *al. labora sparge: confortare, & * roborare.

Apoc. 10.

CAPUT XXXVII.

Apoc. 12. a Et datus est mihi calamus similis virgæ, dicens: Surge, et metire templum Dei, et altare, et adorantes in eo: atrium autem, quod foris templum est, ejice foras, et ne metiaris illud, quoniam datum est Gentibus.

De abjectione reproborum, & vocatio ne electorum. Hom. 13. in Exech. longe ante med. Hom. ead. in expof. B. Job. 1. 28. c. 6. procul à princ.

IN carne Dominus ad Ecclesiam veniens, mensuras eidem Ecclesie posuit, & fines ejusdem Ecclesie occulti judicij subtilitate distinxit; intra quos alij vocati retinentur, alij ne accedant, arcentur. Sacra scriptura calamus mensuræ est: quia in sacro Dei eloquio, quod nobis conscriptum est, occultas esse dispensationes ejus agnoscimus. Nam per incomprehensibile ejus judicium in collectione hominum alios à suis iniquitatibus educit, alios in sua iniquitate derelinquit; alter intra mensuram electorum mittitur, & alter foris relinquitur, ut nullo modo ad electorum numerum pertinere mereatur. Sancto quippe Evangelio teste didicimus, quòd cuidam dicenti: Magister, sequar te quocumque ieris: ejusdem Magistri voce responsum est: Vulpes foveas habent, & volucres cali nidos: filius autem hominis non habet ubi caput reclinet. Alij dicenti: Domine, permitte me primum ire & sepelire patrem meum: ejusdem Magistri voce responsum est: Sine ut mortui sepeliant mortuos suos: tu autem sequere me, & annuncia regnum Dei. Ecce alius secuturum se promittit, & repellitur: alius relaxandum se postulat, & retinetur. Ille non suscipitur, iste nec ad horæ momentum ab obsequio relaxatur. Prædicatores quoque scientia, gente, spiritu, in alias partes mundi vocabantur, ut irent; ab aliis partibus arcebantur ne accederent. Paulus namque Apostolus cum Macedoniam, ubi donia prædicare negligeret, per visum apparuit illi

Mat. 8.

Luc. 19.

Hom. 13. in Exech. ubi

A vir Macedo, qui diceret: Transiens in Macedoniam, supra mul. 112. interiecit. ad. 16.

adjuva nos. At contrà, sicut scriptum est. Tentabam apostoli ire per Bithiniam, & non permise eos Spiritus Iesu. Dum ergo prædicatores sancti, & vocantur ad Macedoniam, ubi fortasse pergere non cogitabant: & ab Asia prohibentur, ubi pergere desiderabant, iste occultarum mensurarum calamus illic ductus est, hic reductus. Illic tenditur, ut Macedonia intra sanctæ Ecclesie spatia colligatur: hinc attrahitur, ut extra fines fidei Asia relinquatur. Erant quippe tunc in ea qui colligendi non erant, quibus juxta meritum suum perditis, jam nunc Asia intra mensuras Ecclesie Deo largiente suscepta est. Intra has ergo mensuras sunt omnes electi, extra has, omnes reprobi; etiam si intra fidei limitem esse videantur.

B Unde bene sancto Joanni dicitur: Atrium, quod foris templum est, foras ejice, & ne metiaris illud. Quid enim atrium aliud quàm latitudinem significat vite presentis? Et rectè foris templum sunt, qui designantur per atrium, atque ideo metiendi non sunt: Quoniam angusta est porta, quæ ducit ad vitam; & latitudo vite pravorum non admittitur ad mensuras & regulas electorum.

CAPUT XXXVIII.

Et apertum est templum Domini in celo: & visa est arca testamenti ejus in templo ejus: & signum magnum apparuit in celo: & mulier amicta sole & luna sub pedibus ejus.

IN Scriptura sacra, cum sol figuratè ponitur, aliquando Dominus per eum designatur: sicut sapientie libro perhibetur, quòd omnes impij in extremi judicij cognita sua damnatione dicturi sunt: Erravimus à via veritatis, & lumen justitie non luxit nobis: & sol non ortus est nobis. Ac si apertè dicant: Interni nobis luminis radius non refullit. Unde & Joannes ait: Mulier amicta sole, & luna sub pedibus ejus. In sole enim illustratio veritatis: in luna verò, quæ mensuris suppletionibus deficit, mutabilitas temporalitatis accipitur. Sancta autem Ecclesia, quia superni luminis splendore protegitur, & quasi sole vestitur: quia verò cuncta temporalia despiciit, lunam sub pedibus premit.

CAPUT XXXIX.

Et visum est aliud signum in celo, & ecce draco magnus, rufus, habens capita septem, et cornua decem, et in capitibus suis septem diademata: et cauda ejus traherat tertiam partem stellarum cali, et misit eas in terram.

HOc de Antichristo sub draconis specie dicitur. Cælum enim est Ecclesia, quæ in hac nocte presentis vitæ, dum innumeras in se Sanctorum virtutes continet, radiantibus desuper sideribus fulget. In scriptura sacra quippe stellarum nomine aliquando Sanctorum justitia, quæ in hujus vitæ tenebris lucet, aliquando verò hypocritarum fictio demonstratur, qui bona, quæ faciunt, ad perficiendas laudes hominibus ostendunt. Si enim rectè viventes stellæ non essent, nequaquam Paulus discipulis diceret: In medio nationis prava & perversa, inter quos lucent sicut luminaria in mundo. Rursum si inter eos, qui rectè videntur agere, quidam de actione sua retributionem favoris humani non quaerent, nequaquam stellæ Joannes ruere à caelestibus videret, dicens: Misit draco caudam, & traxit

E

stellarum nominum li designatur, quos diaboli de caelesti conversatione ad terranà detrahit. In expof. B. Job. 1. 32. c. 12. circa med. Phil. 2. In exp. B. Job. 1. 4. c. 14. in princ.

S. GREGORIUS
PATERII
TOMAS

vertiam partem stellarum, & misit eas in terram. Illa A quippe Satanae extremitas, per audaciam assumpti hominis erecta, quosdam, quos velut electos Dei in Ecclesia invenit, obtinendo, reprobos ostendit: & extrema persuasione Antichristi quidam, qui videntur lucere, rapiuntur. Stellas namque in terram trahere, est eos, qui videntur studio vitae caelestis inherere, ex amore terreno iniquitate aperti erroris involvere. Stellas de caelo in terram cadere, est relictas nonnullos spe caelestium, illo duce ad ambitum gloriae saecularis inhiare.

CAPUT XL.

Apoc. 12. b Et draco stetit ante mulierem, quae erat paritura: ut cum peperisset, filium eius devoraret. B

Scriptura sacra ita nonnunquam tempus praeteritum futurumque permiscet, ut aliquando futuro pro praeterito, aliquando vero utatur praeterito pro futuro. Futuro namque pro praeterito utitur, cum Joanni mulier paritura masculum, qui regat gentes in virga ferrea, demonstratur. Quod quia incarnato Domino veniente jam tunc factum fuerat, res gesta nunciabatur. Rursum praeterito utitur pro futuro, sicut per Psalmistam Dominus loquitur, dicens: *Foderunt manus meas & pedes meos: dinumeraverunt omnia ossa mea.* Quibus videlicet verbis species Dominicae passionis, quasi jam transacta describitur, sed tamen adhuc longè post futura nunciatur.

CAPUT XLI.

Apoc. 12. Et factum est praelium magnum in caelo, Michael & Angeli ejus preliabantur cum dracone. Et draco pugnabat & Angeli ejus, & non valuerunt, neque locus inventus est eorum amplius in caelo. Et projectus est draco ille magnus.

Deprivatis Angelorum nominibus. Hom. 34. in Evang. an. re med. S Erpens antiquus, qui vocatur diabolus, & satanas, qui seducit universum orbem, projectus est in terram, & Angeli ejus cum illo missi sunt, caelestis patriae spiritus, idcirco privatis nominibus censentur, ut signetur per vocabula, etiam in operatione quid valeant. Et cum ad nos aliquid ministraturi veniunt, apud nos etiam nomen à ministeriis trahunt. Michael namque, quis ut Deus; Raphael vero dicitur medicina Dei. Et quotiens mirae virtutis aliquid agitur, Michael mitti perhibetur: ut ex ipso actu & nomine detur intelligi, quia nullus potest facere quod facere praevalet Deus. Unde & ille hostis antiquus, qui esse Deo per superbiam similis concupivit, dicens: *In caelum ascendam, super astra caeli exaltabo solum meum. similis ero Altissimo* dum in fine mundi in sua virtute relinquetur, extremo judicio perimendus cum Michaele Archangelo praeliaturus esse perhibetur: ut qui se ad Dei similitudinem superbius extulerat, per Michaelem peremptus discat, quia ad Dei similitudinem nullus per superbiam exurgat. Raphael quoque interpretatur, ut diximus, medicina Dei: quia videlicet dum Tobiae oculos, quasi per officium curationis tetigit, caecitatis ejus tenebras terfit. Qui ergo ad curandum mittitur, dignum videlicet fuit, ut Dei medicina vocaretur.

CAPUT XLII.

Et audivi vocem magnam dicentem: Nunc facta est salus, & virtus, & regnum Domini nostri, & potestas Christi ejus, quia projectus est accusator fratrum nostrorum, qui accusabat illos ante conspectum Domini, die ac nocte. Apoc. 12.

Qualiter diabolus accuset eos. In exp. B. Job. 1. 2. c. 5. circ. med. A Stutus adversarius cum sanctum quemlibet virum inter prospera bene egisse considerat, reprobare apud judicem per adversa festinat. Scriptura vero sacra saepe diem pro prosperis, noctem autem pro adversis ponere consuevit. In die ergo, & in nocte acculare non desinit: quia modò nos in prosperis, modò in adversis accusabiles ostendere contendit. In die accusat, cum prosperis malè nos uti insinuat: in nocte accusat, cum in adversis nos non habere patientiam demonstrat.

CAPUT XLIII.

Va terra & mari, quia ascendit diabolus ad vos, habens iram magnam, sciens quòd modicum tempus habet. Apoc. 13. a

Diabolus circa finem mundi crudelior apparet. In exp. B. Job. 3. 4. c. 1. circa med. A Niquus hostis extrema mundi atrocius tentaturus aggreditur: quia tantò fit ferventior ad sevitiam, quantò se viciniorem sentit ad poenam. Considerat quippe quòd juxta sit, ut licentiam amittat nequissima libertatis: quoniam à tentandi licentia abstractus, aeternis incendiis religabitur. Et quantum brevitate temporis angustatur, tantum multiplicitate crudelitatis expanditur: habens iram magnam, sciens quòd modicum tempus habet, sicut de illo, voce angelica Joanni dicitur. Tunc ergo in magna ira fervorem se dilatat, ne qui in beatitudine stare non potuit, in damnationis suae foveam cum paucis ruat. Tunc quidquid nequiter valuerit, callidius exquirat: tunc superbiae cervicem altius erigit, & per damnatum illum, quem gestat hominem, omne, quod temporaliter praevalet, nequiter ostendit.

CAPUT XLIV.

Et vidi aliam bestiam ascendentem de terra, & habebat cornua duo similia agni, & loquebatur sicut draco: & potestatem prioris bestiae omnem faciebat in conspectu ejus, et fecit signa magna ut etiam faceret ignem de caelo descendere in terram in conspectu hominum. Apoc. 13. a

De simulatione Antichristi & praedicatorum ejus. In exp. B. Job. 33. c. 26. sub int. P Raedicatores Antichristi, sanctitatis sibi speciem arrogabunt, sed tam opera iniquitatis exercetione Antichristi & praedicatorum ejus. In exp. B. Job. 33. c. 26. sub int. bunt: clari erunt per justitiae simulationem, sed obsecuri per nequitiae perpetrationem. Horum igitur simulationis malitiam Joannes brevi descriptione comprehendit. Priorem quippe bestiam, id est Antichristum, superiori jam descriptione narraverat: postquam etiam haec alia bestia ascendisse dicitur; qui post eum multitudo praedictorem illius ex terrena potestate gloriatur. De terra quippe ascendere, est de terrena gloria superbire, quae habet duo cornua agni similia: quia per hypocrisim sanctitatis, eam, quam in se veraciter Dominus habuit, sibi singularem inesse, & sapientiam mentietur & vitam. Sed quia sub agni specie auditoribus reprobis serpentinum virus infunditur, rectè illic subditur:

A a a iij

Et loquebatur ut draco. Ista ergo bestia, id est prædicantium multitudo, si apertè ut draco loqueretur, agno similis non appareret, sed assumpsit agni speciem, ut draconis exerceat operationem. Illo tempore complebitur quod Veritatis ore per Evangelium dicitur: *Surgent pseudochristi, & pseudopropheta, & dabunt signa magna & prodigia: ita ut in errorem inducantur, si fieri potest, etiam electi.* Electi namque dum eorum signa conspiciunt, dum contemnentes vitam tanta ministrorum Antichristi miracula perhorrescent, quoddam dubietatis nubium in corde patientur: quia dum se per prodigia illorum malicia elevat, in istis aliquatenus visus certior caligat. Ex prædicatorum igitur Antichristi signis & prodigiis mendacibus ad momentum dubietas in bonis mentibus generabitur: & in electorum cordibus conspectis terribilibus signis, obscura cogitatio conglobabitur. Tunc unaquæque electorum anima cogitationum suarum impetus quasi spumas undarum in olla ferventium sustinebit: quas & ignis zeli commovebit, & ipsa temporalis oppressio more ollæ intrinsecus clausas tenebit. Unde cum Joannes hujus bestie signa narraret, adjunxit: *Ista ut ignem faceret de calo descendere.* Ignem quippe de celo descendere, est de celestibus electorum animis sancti zeli flammam emanare.

Marc. 13.

CAPUT XLV.

Apo. 14. c. Vidi supra Sion agnum stantem, & cum eo centum quadraginta quatuor millia. Et cantabant quasi canticum novum, et nemo poterat dicere canticum, nisi illa centum quadraginta quatuor millia.

De singula
ri virginū
gaudio &
incommu-
tatione.
Cura pass.
par. 3. c. 29.
post med.

Mat. 19.

Hoc de virginibus peccatum carnis ignorantibus per Joannem dicitur. Singulariter quippe canticum agni cantare, est cum eo in perpetuum præcunctis fidelibus etiam de carnis incorruptione gaudere. Quod tamen electi ceteri canticum audire possunt, licet dicere nequeant: quia per charitatem quidem in illorum celsitudine læti sunt, quamvis ad eorum præmia non assurgant. De hac incorruptione & carnis integritate per semetipsam Veritas dicit: *Non omnes capiunt verbum hoc: quod est innotuit summum esse, quò denegavit omnium: & dum prædicat quia difficile capitur, audientibus innuit, captum cum qua cautela teneatur.*

CAPUT XLVI.

Apo. 14. c. Vidi nubem candidam, et supra nubem sedentem similem filio hominis, habentem in capite suo coronam auream, et in manu sua falcem acutam.

De judicio
Dei.
In expof. B.
Iob. l. 33. c.
10. sub mif.

Potestas divini judicij, qui intra se omnia incidendo complectitur, falcis appellatione signatur. In falce enim quicquid inciditur, quaqua verum flectatur, intus cadit. Et quia potestas superni judicij nullatenus evitatur, intra ipsam quippe sumus, quolibet fugere conemur: rectè cum venturus judex ostenditur, falcem tenere perhibetur, quia cum potenter ad omnia obviat, incidenter circumdat.

CAPUT XLVII.

Et quartus Angelus effudit phialam suam in Apoc. 16. b. solem, & datum est illi æstu afficere homines & igne.

Solis nomine sapientium intellectus exprimitur: De significatione solis, & ruina fortium. *S*phialam videlicet in sole effundere, est persecutionis supplicia viris sapientiæ splendore fulgentibus irrogare. Et datum est illi, ut afficeret homines æstu & igne: quia dum sapientes viri cruciatibus victi, malè agendi errore tanguntur, illorum exemplo perfracti, infirmi quique temporalibus desiderijs inardescunt. Ruinæ namque fortium, augmenta præstant perditionibus infirmorum. Quia sole acumen sapientium designatur, per comparisonem quoque à Salomone dicitur: *Sapiens ut sol perma- nec, stultus ut luna mutatur.*

In exp. B. Iob. l. 34. c. 10. cit. med.

CAPUT XLVIII.

Et ecce venio sicut fur.

Apo. 16. f.

Ad excutiendum mentis nostræ desidiam, & ut animus ad suam fuscitetur custodiam, per similitudinem in Evangelio Dominus loquitur, dicens: *Hoc autem scitote, quoniam si sciret paterfamilias, qua hora fur veniret, vigilaret utique, & non sineret perfodi domum suam.* Ex qua præmissa similitudine etiam exhortatio subinfertur, cum dicitur: *Et vos estote parati, quia qua hora non putatis, filius hominis veniet.* Nesciente autem patrefamilias, fur domum perfodit: quia dum à sui custodia spiritus dormit, improvisa mors veniens nostræ carnis habitaculum irrumpit: & eum, quem Dominus domus invenerit dormientem, necat: quia cum ventura damna spiritus minimè prævidet, hunc mors ad supplicium nescientem rapit. Furi autem resisteret, si vigilaret: quia adventum judicis, qui occultè animam rapit, præcavens ei pœnitendo occurreret, ne impœnitens periret. Horam verò ultimam Dominus noster idcirco nobis voluit esse incognitam, ut semper possit esse suspecta, ut dum illam prævidere non possumus, ad illam sine intermissione præparemur. Quia ergo & venturæ mortis tempus ignoramus, & post mortem operari non possumus, superest ut ante mortem tempora indulta rapiamus. Sic enim, sic mors ipsa cum venerit, vincitur, si priusquam veniat, semper timeatur.

Hom. 13. in Evang. longe post med. Luc. 12. Ibidem.

CAPUT XLIX.

Beatus qui vigilat.

Apo. 16. g.

Vigilat qui ad aspectum veri luminis mentis oculos apertos tenet. Vigilat qui servat operando quod credit. Vigilat qui à se torporis & negligentie tenebras repellit. Hinc enim Paulus dicit: *Evigilate justi, & nolite peccare.* Hinc rursus ait: *Hora est jam nos de somno surgere.*

De sollicitudine vite nostræ custodia. Hom. 13. in Evang. longe ante med. 2. Cor. 11. Rom. 13.

S.
GREGORIUS
III
TOMAS

CAPUT I.

Apoc. 16. c. Beatus qui custodit vestimenta sua, ne nudus ambulet.

In exp. B. Job. 1. 12. c. 4. non procul a fin. c. 1. 16. c. 22. cir. med.
Sicut corpus cooperiunt vestimenta : sic animam bona protegunt opera. Vestem innocentia primus homo bene conditus accepit, male persuasus a serpente perdidit. Et quia concessa prius in paradiso veste innocentia nudatur, contra hanc nuditatem dicitur : *Beatus qui custodit vestimenta sua, ne nudus ambulet.* Vestimenta quippe custodimus, cum innocentia precepta servamus in mente : ut cum nos iudicij culpa nudat, ad amissam redeantes innocentiam poenitentia operari.

CAPUT II.

Apoc. 16. c. Et videant turpitudinem ejus.

In exp. B. Job. 1. 2. c. 27. paulo post med.
Turpitudine nostra tunc cernitur, cum vita reprehensibilis ante iustorum oculos in iudicio nequaquam subsequens boni operis tegmine velatur. Apud Deum nostrum nostra nos opera quasi vestimenta tegunt.

CAPUT III.

Apoc. 18. c. Quantum glorificavit se Babylon, & in deliciis fuit, tantum date illi tormentum.

De ordine supplicij. In exp. B. Job. 1. 9. c. 19. in princ.
Nequaquam omnipotens Deus qui mala bene punit, inordinata esse ullo modo vel tormenta permittit : quoniam ipsa quoque supplicia, quae ex lance iustitiae procedunt, inferri sine ordine nequaquam possunt. Quomodo namque in supplicij ordo non erit, dum damnatum quemque iuxta modum criminis, & retributio sequetur ultionis ? sicut supra dictum in damnatione Babylonis. Si igitur iuxta modum culpae poena distinguitur, constat nimirum quod in supplicij ordo servatur.

CAPUT IIII.

Apoc. 19. d. Beati qui ad cenam nuptiarum agni vocati sunt.

De refectione aeterni convivij. Hom. 24. in Evang. non procul a fin. c. Hom. 16. procul a princ. sed multo ante med.
Per hanc cenam nuptiarum agni, aeternum & ultimum convivium designatur, ad quod quis semel intraverit, amplius non exiit. Idcirco autem hoc ultimum convivium Dei non prandium, sed cena vocatur : quia post prandium cena, post cenam vero nullum convivium restat. Et quia aeternum Dei convivium nobis in extremo preparabitur, rectum fuit, ut hoc non prandium, sed cena vocaretur. Idcirco ergo Joannes non ad prandium, sed ad cenam vocatos narrat : quia nimirum in fine diei convivium cena est. Qui ergo finito praesentis vitae tempore ad refectionem supernae contemplationis veniunt, non ad agni prandium, sed ad cenam vocantur. Illo ergo ultimo convivio de praesentia veritatis epulabuntur, qui nunc perfectionis studio terrena transcendunt, quos mundi hujus amor non ligat : quibus etsi utcumque per tentamenta obstrepit, coepa tamen eorum desiderio non retundit. Illos tunc interna refectione reparabit : quia nunc pleni septiformi gratia in amore Spiritus anhelant. Huius ergo, fratres, Spiritus pleni praesentia desideremus : quia si hoc Spiritu pleni fuerimus, ad illud convivium pervenire valebimus. Quisquis namque

A ille est, quem nunc Spiritus sanctus non reparat, profecto ab illa aeterni convivij refectione jejuna.

CAPUT LIV.

Apoc. 19. c.
Et vidi caelum apertum, & ecce equus albus, & qui sedebat super eum vocabatur fidelis & verax. Et vestitus erat veste aspersa sanguine, & vocatur nomen eius Verbum Dei : & exercitus, qui sunt in caelo, sequebantur eum in equis albis.

De exercitu sanctorum. Qui in hoc martyrij bello sudaverat, exercitum recte vocat. Qui idcirco in equis albis sedere referuntur, quia numerorum corpora & luce iustitiae, & castimoniae candore claruerunt. Equus quippe est unicuique animae corpus suum, quod videlicet novit ab illicitis continentiae freno restringere, & rursus charitatis impulsu in exercitatione boni operis relaxare.

CAPUT LV.

Apoc. 19. c.
Et habebat in vestimento suo & in saemore scriptum : Rex regum, & Dominus dominantium.

Christus quod sumpsit ex virgine : nec tamen aliud ejus per incarnationem vestimentum est, atque aliud ipse. Nam nostrum quoque vestimentum caro dicitur, sed tamen ipsi nostra sumus caro, qua vestimur. Hoc autem vestimentum illius, longè ante, Isaias aspiciens per crucem passionis sanguine cruentatum, dixit : Quare rubrum est indumentum tuum, & vestimenta tua quasi calcantium in torculari ? Per saemur vero propagatio carnis est. Quia ergo per propagationem generis humani, sicut generationum ordines Matthaeo, vel Luca narrantibus describuntur, in hoc mundo venit ex Virgine, & per incarnationis suae mysterium : quia Rex esset, & Dominus, cunctis ubique Gentibus indicavit, in vestimento & in saemore scriptum habuit, Rex regum, & Dominus dominantium. Unde etenim in mundo innotuit, ibi de selectionis scientiam infixit.

CAPUT LVI.

Apoc. 20.
Vidi Angelum descendente de caelo, habentem clavem abyssi, & catenam magnam in manu sua, & apprehendit draconem, serpentem antiquum, qui est diabolus & satanas, & ligavit eum per annos mille, & misit in abyssum, & clausit, & signavit super illum, ut non seducat amplius gentes donec consumantur mille anni : & post haec oportet illum solvi modico tempore.

De damnatione diaboli. Draco dicitur : quia nos ad nocendi malitiam inflamat, & malitiose nobis nocere appetit. Serpens dicitur, quia semper insidias molliter infundit : abyssum vero corda hominum vocat, quae & per lapsum fluida, & per duplicitatis caliginem sunt tenebrosa. Antiquus itaque serpens catena ligatus in abyssum mittitur : quia religatus a bonorum cordibus apud reprobos mentes reclusus, eis atrocius dominatur, & potentia divina dispensationis atrahitur, ne, in quantum nocere valet, effraenetur ; ut quamvis per eos occultè saeviat, ad violentas ta-

men rapinas superbiæ non erumpat. Ille igitur apostata Angelus, qui ita conditus fuerat, ut Angelorum ceteris legionibus emereret, ita superbiendo succubuit, ut nunc stantium Angelorum damnationi substratus sit: quatenus vel nunc ad utilitatem nostram eis ministrantibus religatus lateat, vel post ad probationem nostram eis relaxantibus totis se suis contra nos viribus solutus exerceat. Electi itaque Angelorum spiritus superbum apostatam nunc in abyssi puteo clausum comprimunt, qui humiles hunc sequi noluerunt, ipsisque ministrantibus disponitur, ut ad intentionem aperti certaminis quandoque destruentibus funditus revocetur.

CAPUT LVII.

Apoc. 20. b *Beatus sanctus, qui habet partem in resurrectione prima.*

De morte, & resurrectione animæ.
In exp. B. 1ob. l. 14. c. 8 sub init.

Mors peccatum est, quod ab interiore vita animam occidit. Ille itaque post in carne feliciter resurgit, qui in hac vita positus à mentis suæ morte surrexit.

CAPUT LVIII.

Apoc. 20. c *Et in his secunda mors non habet potestatem, sed erunt sacerdotes Dei, & Christi, & regnabunt cum eo mille annis.*

De significatione millenarij numeri.
In exp. B. 1ob. l. 9. c. 2. sub init. Psal. 104.

In Scriptura sacra millenarius numerus pro universalitate solet intelligi. Hinc etenim Psalmista ait: *Verbi, quod mandavit in mille generationes*: cum profectò constet, quod ab ipso mundi exordio, usque ad Redemptoris adventum, per Evangelistam non amplius quam septuaginta & septem propagine numerentur. Quid igitur in millenario numero nisi ad proferendum novam sobolem perfecta universalitas præcitæ generationis exprimitur? Hinc ergo per Joannem dicitur: *Et regnabunt cum eo mille annis*, quia videlicet regnum sanctæ Ecclesiæ, universalitatis perfectione solidatur.

CAPUT LIX.

Apoc. 20. c *Et postquam consummati fuerint mille anni, solvetur Satanas de carcere suo, & exiit, & seducet gentes.*

De aperta diaboli malitia in tempore Antichristi.
In exp. B. 1ob. l. 9. c. 2. sub init. l. 18 c. 25 sub init. l. 19. c. 7. non procul à pr. l. 22. c. 12. non procul à pr.

Millenario numero non quantitatem temporis, sed universalitatem, qua regnat Ecclesia, designavit; & ipso numero universum pro perfectione sua hoc quantumlibet sit sanctæ Ecclesiæ tempus expressit. Quo peracto, draco de puteo abyssi educetur: quia diabolica malitia, quæ in iniquorum subdolis occultatur cordibus, tunc revelabitur, & quod modò præ timore regitur, tunc contra Ecclesiam publicè de iniquorum ore omne serpentinum virus aperietur. Nunc enim abscondit se sub blande lingue saviens conscientia, & malitia calliditatis, quasi quodam se tegit abyssio simulationis. In fine verò mundi antiquus hostis vas proprium illum perditum hominem ingreditur, qui specialiter Antichristus nuncupatur; qui mensuras hominum transcendens modò honoris sæcularis culmine, modò signis & prodigijs fictæ sanctitatis in tumore potentia elevari permittetur. Spiritus enim in illo erit, qui in sublimibus conditus, potentiam naturæ suæ non perdidit vel dejectus. Cujus virtus idcirco nunc minimè ostenditur, quia dispensatione divinæ fortitudinis à bonorum cordibus religatur: & ab electis Angelorum spiritibus nunc in abyssi puteo, id est, in reproborum mentibus, reclusus premitur. Tempore verò Antichristi de abyssi puteo,

id est, de iniquorum cordibus nunc occulto, faventibus eductus procedet, & tunc accepta potestate contra Ecclesiam in vim apertæ persecutionis erumpet. Per semetipsum enim Veritas dicit: *Erit tunc tribulatio magna, qualis non fuit ab initio mundi usque modo, neque fiet.* Tunc enim antiquus hostis suis viribus traditus paucis quidem in tempore, sed in multa contra nos relaxabitur virtute, sicut supra scriptum est: *Post hac oportet illum solvi modico tempore.* Quem quamvis sævitia ad crudelitatem dilatat, superna tamen misericordia brevitate dierum angustabit, sicut ipsa Veritas ait: *Nisi breviter fuissent dies illi, non fieret salva omnis caro.* Quia enim & superbos nos, & infirmos Dominus conspiciat, dies, quos singulariter malos intulit, misericorditer breviter dicit: profectò ut & superbiam terreat de temporis adversitate, & infirmitatem refocillet de brevitate. Superba itaque Antichristi celsitudo super reprobos mentes hominum, fastu gloriæ sæcularis erigetur, ita ut homo peccator, & tamen homo despiciens æstimari, Deum se super homines mentiatur. Unde Paulus Apostolus dicit: *Ita ut in templo Dei sedeat, ostendens se tanquam sit Deus.* Sed hæc ejus superbia districti judicis erit adventu ferienda, sicut scriptum est: *Quem Dominus Iesus interficiet spiritu oris sui, & destruet illustratione adventus sui.* De hoc quoque perditio homine per Danielem dicitur: *Contra principem principum con-Dan. 8. surget, & sine manu conteretur*: quia non Angelorum bello, non sanctorum certamine, sed per adventum judicis, solo oris spiritu æterna more ferietur. Joannes quoque in hac revelatione sua subsequitur, dicens: *Et descendit ignis à Deo de celo, & devoravit eos.* Antichristum videlicet, & ejus ministros, & prædicatores.

CAPUT LX.

Et diabolus, qui seducebat eos, missus est in stagnum ignis & sulphuris: ubi & bestia, & pseudopropheta, & cruciabuntur die ac nocte in secula seculorum. Amen.

Aterno quippe iudice terribiliter apparente Diabolo assistentibus legionibus Angelorum, assistente cuncto ministerio cælestium potestatum, atque electis omnibus ad hoc spectaculum deductis, ista bellua crudelis & fortis, in medium captiva deducetur, & cum suo corpore, id est, cum reprobis omnibus, æternis gehennæ incendiis mancipabitur, cum dicitur: *Discedite maledicti in ignem æternum, qui paratus est diabolo, & Angelis ejus.* O quale erit illud spectaculum, quando hæc immanissima bellua electorum oculis ostendetur! quæ hoc belli tempore nimis illos terrere poterat, si videretur: sed occulto ac miro Dei consilio agitur, ut & nunc per ejus gratiam oppugnantibus non visa vincatur, & tunc ab electis victoribus jam captiva videatur. Tunc autem iusti divino adjutorio, quantum debitorum sunt, plenius recognoscunt: quando tam fortem bestiam viderint, quam nunc infirmi vicerunt: & in hostis sui immanitate conspiciunt, quantum debeant gratiæ defensoris sui. Redeunt enim de hoc prælio tunc milites nostri virtutum trophæa referentes, & receptis corporibus, cum jam in illo iudicio regni cælestis introitum fortiuntur, prius immanissimas vires hujus antiqui serpentis aspiciunt, ne vile æstimet, quod evaserunt. Visa vera mors ejus tunc gaudium exhibet, cujus tolerata vita nunc iustis quotidie in cruciatibus bellum movet.

CAPUT LXI.

Apoc. 10. d Et vidi thronum magnum candidum, & sedentem super eum, à cuius conspectu fugit terra & calum. Et vidi mortuos magnos, & pusillos stantes in conspectu throni. & libri aperti sunt: & alius liber apertus est, qui est vita: & iudicati sunt mortui ex his qua scripta erant in libris secundum opera ipsorum.

Vita iustorum quasi liber, & speculum est animarum. Iustorum debet vitam conspiciere, qui vult suam subtiliter deprehendere. Viva lectio est vita bonorum. Unde non immeritò iidem iusti in sacro eloquio libri nominantur, sicut à Joanne dicitur: *Libri aperti sunt, & alius liber apertus est, qui est vita*. Liber namque vitæ, est ipsa visio iudicis advenientis, in quo quasi scriptum est omne mandatum: quia quisquis eum viderit, mox teste conscientia, quidquid non fecit, intelligit. Libri etiam aperti referuntur: quia iustorum tunc vita conspiciuntur, in quibus mandata celestia opere sic expressa cernuntur. Et iudicati sunt mortui ex his, quæ scripta erant in libris: quoniam in ostensa vita iustorum, quasi in expansione librorum legunt bonum, quod agere ipsi noluerunt, atque damnantur ex eorum comparatione, qui fecerunt. Ne ergo unusquisque tunc videns eos, quod non fecit, desinat, nunc in eis quod imitetur, attendat. Illorum videlicet species, quasi quædam forma nobis imitanda proponitur. Qui enim plenissimè intelligere appetit qualis est, tales nimirum debet conspiciere, qualis non est: ut ex bonorum forma metiatur, quantum ipse deserto bono deformis est. Ex his quippe, quibus plenissimè bona adflunt, perpendit rectè, quæ sibi minus sunt, & in illorum pulchritudine conspiciat fæditatem suam, quam in se ipso perpetui potest, & sentire non potest.

CAPUT LXII.

Apoc. 21. a Et vidi calum novum, & terram novam: primum enim calum & prima terra abiit.

De renovatione cæli & terræ qualiter fieri debeat. Quærit potest, cum per Salomonem dicitur: *Generatio præterit, & generatio advenit, terra vero in æternum stat*, cur beatus Joannes calum & terram abiisse asserit? Quod tamen facile discutimus, si terra & calum qualiter transeant, vel qualiter maneant, distinguamus. Utraque namque hæc per eam, quam nunc habent, imaginem transeunt, sed tamen per essentiam sine fine subsistunt. Hinc namque per Paulum dicitur: *Præterit enim figura huius mundi*. Hinc per semetipsam Veritas dicit: *Calum & terra transibunt, verba autem mea non transibunt*. Hinc ad Joannem Angelica voce dicitur: *Erit calum novum, & terra nova*. Quæ quidem non alia condenda sunt, sed hæc ipsa renovantur. Calum igitur & terra transit, & erit: quoniam ab ea, quam nunc habet, specie, per ignem tergitur, & tamen in sua semper natura servatur. Unde per Psalmistam dicitur: *Mutabis ea, & mutabuntur*. Quam quidem ultimam commutationem suam ipsis nobis nunc vicissitudinibus nunciant, quibus nostris usibus indefinenter alternant. Nam terra à sua specie hiemali ariditate deficit, humore vernali viridescit. Calum quotidie caligine noctis obducitur, & diurna claritate renovatur. Hinc ergo fidelis quisque colligat, & interire hæc, & tamen per innovationem refici, quæ constat nunc assidue, velut ex defectu reparari.

S. Greg. Tom. III.

CAPUT LXIII.

Et venit unus de septem Angelis, & sustulit me in spiritu in montem magnum & altum, & ostendit mihi civitatem sanctam Ecclesiam descendentem de celo à Deo, habentem claritatem Dei, & habebat murum magnum & altum, habentem portas duodecim, & erat structura ejus muri ex lapide jaspide, ipsa vero civitas auro mundo, simili vitro mundo.

Appellatione auri in sacro eloquio, aliquando splendor supernæ civitatis accipitur. Aurum namque ex quo civitas illa constat, simile vitro dicitur, ut per aurum clara, & per vitrum perspicua designetur. Auri quippe metallum novimus, potiori metallis omnibus claritate fulgere: vitri vero natura est, ut intrinsecus visu pura, intrinsecus perspicuitate perluceat. In alio metallo quidquid intrinsecus continetur, absconditur: in vitro vero quilibet liquor qualis continetur interius, talis exterius demonstratur: & ut ita dixerim, omnis liquor in vitreo vasculo clausus patet. Quid igitur aliud in auro vel vitro accipimus, nisi illam supernam patriam, illam beatorum civium societatem, quorum corda sibi invicem & claritate fulgent, & puritate translucent? Quia enim omnes sancti in æterna beatitudine summa claritate fulgebunt, instructa auro dicitur. Et quoniam ipsa eorum claritas sibi vicissim in alternis cordibus patet, & cum uniuscujusque vultus attenditur, simul & conscientia penetratur, hoc ipsum aurum simile vitro mundo esse memoratur. Ibi quippe uniuscujusque mentem alterius oculis, membrorum corpulentia non abscondet, sed patebit animus, patebit corporalibus oculis ipsa etiam harmonia corporis. Sicque unusquisque tunc erit conspicibilis alteri, sicut nunc non potest esse conspicibilis sibi. Nunc autem corda nostra quamdiu in hac vita sumus, quia ab altero in alterum videri non possunt, non intra vitrea, sed intra lutea vascula concluduntur. Cui scilicet luto per passionem mentis inhærere Propheta formidabat, cum diceret: *Eripe me de luto, ut non inhæream*. Quod nimirum habitaculum corporum Paulus domum terrestrem nominat dicens: *Scimus quia si terrestris domus nostra huius habitationis dissolvatur, quod adificationem ex Deo habemus, domum non manufactam æternam in calis*. In hac itaque terrestri domo ac corruptibili carne, quousque vivimus, ipsum, ut ita dicam, corruptionis nostræ parietem mentis oculo nullatenus penetramus: & vicissim cogitationes nostras, & occulta in alterutrum videre non possumus. Unde rursus per eundem Paulum dicitur: *Quis scit hominum, quæ sunt hominis, nisi spiritus hominis, qui in ipso est?* Et rursus: *Nolite ante tempus iudicare donec veniat Dominus, qui & illuminabit abscondita tenebrarum, & manifestabit consilia cordium*. Illa itaque civitas, in quo omnes sancti tanta claritate fulgent, tanta perspicuitate translucent, quæ sua vicissim singulis corda manifestat ex auro dicitur similis vitro mundo, ut designetur auro clara, vitro perspicua.

CAPUT LXIV.

Longitudo, latitudo, & altitudo civitatis equalia sunt. Et mensus est Angelus muros ejus mensura hominis, quæ est Angeli.

Civitas sancta Hierusalem quam inhabitat Dens, Humilitas ex angelica simul & humana natura perficitur, hominum.

Bbbb

naturæ quandoque ad æqualitatem Angelorum. Hom. 14. in Ez. ec. non procul à fin. Mat. 22.

Apoc. 21.

per hoc quod angelica creatura sursum est, & humana adhuc deorsum: potest per latitudinem & altitudinem civitatis hæc utraque creatura signari: quoniam ista adhuc in imis degit, illa verò in sublimibus permanet. Sed latitudo, & altitudo æqualia sunt, quoniam humilitas hominum ad æqualitatem quandoque perducitur Angelorum. Unde scriptum est: *Non nubent, neque nubentur: sed erunt sicut Angeli Dei in celo.* Unde etiam per Joannem dicitur: *Mensura hominis, quæ est Angeli:* quia usque ad illam altitudinem gloriæ homo perducitur, in qua se solidatos Angeli lætantur. Latitudo ergo civitatis tanta est, quanta altitudo: quoniam electi quique, qui modò laborant in imis, quandoque non erunt inæquales illis spiritibus beatissimis.

CAPUT LXV.

Apoc. 22. b *Et ego Ioannes, qui audivi, & vidi hæc, postquam audivissem, & vidissem, cecidi ad pedes Angeli qui mihi hæc ostendebat, ut adorarem, & dixit mihi: Vide ne feceris, conservus tuus sum, & fratrum tuorum Prophetarum, & eorum, qui servant verba libri hujus.*

Quare Angeli post incarnationem Domini ab hominibus noluerint adorari. In expof. B. Job. l. 27. c. 8. ante med.

ANte incarnationem Domini in testamento veteri adorasse homo Angelum legitur, nec tamen adorare prohibetur: sed post Mediatoris adventum, cum se Joannes adorando Angelo prostravisset, prohibetur. Quid est hoc quòd prius æquanimiter concedebant adorari, post ab homine adorari Angeli recusant nisi quòd prius hominem carnalibus corruptionibus deditum, nec ab eisdem carnalibus corruptionibus redemptum, quò abjectiorem noverant, justius contemnebant: postmodum verò humanam naturam eò jam substratam habere non poterant, quò hanc in Auctore suo etiam super semetipfos ductam videbant. Neque enim debebat jam in membris subjecta despici, quæ in ipso membrorum capite meruit prælata venerari.

CAPUT LXVI.

Apoc. 22. e *Et dicit mihi: Ne signaveris verba prophetiæ libri hujus; tempus enim prope est.*

De revelatione mysteriorum factæ Scripturæ, & de Enoch, & Helia. In exp. B. Job. l. 9. c. 6. circ. med. Dan. 12. Apoc. 10. Apoc. 22. Job. 9.

URgente mundi fine, superna scientia proficit, & largius cum tempore excrefcit. Hinc namque per Daniele dicitur: *Perransibunt pluri mi, & multiplex erit scientia.* Hinc Joanni in priori parte revelationis Angelus dicit: *Signa quæ locuta sunt septem tonitrua.* Cui tamen in ejusdem revelationis termino præcepit, dicens: *Ne signaveris verba prophetiæ libri hujus.* Pars quippe revelationis anterior signari præcipitur, terminus prohibetur: quia quidquid in sanctæ Ecclesiæ initiis latuit, quotidie finis ostendit. Signare autem dicitur, quasi signaculo claudere. Unde per beatum Job dicitur de Domino: *Qui stellas claudit quasi sub signaculo.* Sicut æolorum vel nubium nomine, cælestis vita prædicantium signatur, qui super arentem terram humani pectoris sanctæ prædicationis imbres fundunt, de quibus per Psalmistam dicitur: *Cali enarrant gloriam Dei:* sic stellarum claritate etiam ipsi prædicatores figurantur: quia dum recta peccatoribus prædicant, tenebras nostræ noctis illustrant. Unde & subtractis prædicatoribus per Prophetam dicitur: *Prohibita sunt stella pluviarum.* Si autem prædicationis sermo pluvia non esset, Moyses minime dixisset: *Expelletur sicut pluvia eloquium meum.* Et nequaquam per Isaiam Veritas diceret: *Mandabo nu-*

Psal. 18.

Hier. 3.

Dent. 32.

Isa. 32.

A bibus, ne pluant super eam imbre. Dominus ergo sub signaculo stellas claudit: quia dum prædicatores suos per silentium intra semetipfos retinet, cæcis iniquorum sensibus cælestis lumen abscondit. Pensandum verò est, quia idcirco aliquid sub sigillo claudimus, ut hoc cum tempus congruit, ad medium proferamus. Hinc est quòd duo illi eximij prædicatores Enoch, & Helias, dilata morte, subtracti sunt, ut ad prædicationis usum in fine revocentur. De quibus per Joannem dicitur: *Et dabo dvobus testibus meis, & prophetabunt diebus mille ducentis sexaginta annis. Hi sunt duo olive, & duo candelabra in conspectu Domini terra astantes:* hi habent potestatem claudendi cælum, ne pluat diebus prophetiæ ipsorum. Quorum unum in Evangelio per semetipsum Veritas pollicetur, dicens: *Helias venturus est, & restituet omnia.* Nam etiam ad cælum raptus Helias esse perhibetur, mortem tamen distulit, non evasit. Veniet autem restitutus omnia: quoniam ad hoc nimirum huic mundo restituetur, ut & munera prædicationis impleat, & carnis debitum solvat: sicut de ambobus, id est Enoch, & Helia, Joannes subdit, dicens: *Et cum finierint testimonium suum, bestia, quæ ascendit de abyfso, faciet adversus illos bellum, & vincet illos, & occidet illos.* Enoch igitur, & Helias, quasi sub signaculo stellæ clausæ sunt, quæ & nunc occultantur, ne appareant: & post ut prodesse valeant, apparebunt.

Hom. 11. in Ez. ec. longe ante med. Apoc. 11. ibidem.

Mat. 17. In exp. B. Job. l. 20. c. 25. sub med. Apoc. 11.

CAPUT LXVII.

Qui nocet, noceat adhuc: & qui in sordibus est, sordescat adhuc. Apoc. 22. c

CUm omnipotens Deus ad pœnitentiam tempus indulget, & humana malitia ad usum suæ iniquitatis intorquet, nimirum justo iudicio augeri culpa permittitur, ut ad ferendum altius quandoque cumuletur. Hinc de quibusdam Paulus Apostolus dicit: *Vi impleant peccata sua semper.* Hinc David ait: *Appone iniquitatem super iniquitatem ipsorum: & non intrent in justitiam tuam.* Quia sicut scriptum est: *Dominus patiens redditor est.* Sæpe diu tolerat, quos in perpetuum damnat: ut & iustorum mundus vita purgetur, & ut considerantibus infirmeret, ad quos eos iudicium servat. Nonnunquam verò concitè percudit, & eorum interitu innocentium corda confirmans, innocentium pusillanimitatis consolando concurrat, & etiam ostendit, quoniam multa mala non deserit. Si enim nunc omnes mala agentes percuteret, extremum jam iudicium, quibus exhiberet? Si autem nullum omnino percuteret, quis res Deum humanas curare crederet?

De his qui de malo in pejus cadunt. In exp. B. Job. l. 35. c. 9. circ. med. 1. Th. 2. c. 13. In expof. B. Job. l. 11. c. 11. non procul à princ. Hier. 21.

CAPUT LXVIII.

Et sponsus, & sponsa dicunt: Veni. Et qui audit, dicat: Veni. Apoc. 22. d

OMnes, qui cum prædicare dignè valeant, præ nimia tamen & immoderata humilitate formidantes refugiunt, divinas contra se sententias terribiliter audiant, quatenus ab eorum cordibus timorem timor expellat. Audiant quòd talentum qui erogare noluit, cum sententia damnationis amittit. Audiant quòd Paulus, eò se à proximorum sanguine mundum credidit, quò feriendis eorum vitis non pepercit, dicens: *Confessor vos hodierna die, quia mundus sum à sanguine omnium, non enim subterfugi, quo minus annunciarem vobis omne consilium Dei.* Audiant quòd Isaias, qui à verbi Dei ministerio tacuit illustratus superno lumine magna voce pœnitentiæ seipsum reprehendit, dicens: *Veni mi-*

De his qui præ nimia humilitate refugiunt prædicare. Cura pass. par. 3. c. 26. ante med. Mat. 23. c. 20. Isa. 6.

S. GREGORII IVI TOMASII

bi, quia tacui. Audiant quod David hoc Deo pro munere obtulit, quod prædicationis gratiam quam acceperat, non abscondit, dicens: *Ecce labia mea non prohibebo, Domine, tu cognovisti: justitiam tuam non abscondi in corde meo, veritatem tuam, & salutare tuum dixi.* Audiant quod Sponsi colloquio ad Sponsam dicitur: *Quæ habitas in hortis, amici auscultant te: fac me audire vocem tuam.* Ecclesia quippe in hortis habitat, quæ ad viriditatem intimam exculta plantaria virtutum servat: cujus vocem amicos auscultare, est electos quosque verbum prædicationis illius desiderare. Quam videlicet vocem sponsus audire desiderat: quoniam ad prædicationem ejus, per electorum suorum animas anhelat. Voce quoque Angeli Joannes admonetur dicens: *Qui audit, dicat: Veni.* Cui enim jam vox Dei vocantis efficitur in corde, necesse est, ut proximo per prædicationis officium erumpat in voce: & idcirco alium vocet, quoniam ipse jam vocatus est. Nimirum enim cui se vox interna insinuat, illuc etiam clamando alios, quo ipse rapitur, debet trahere; ne clausas fores etiam vocatus inveniat, si vocanti vacuus appropinquat.

CAPUT LXIX.

Ego Iesus misi Angelum meum testificari vobis hæc in Ecclesiis. Ego sum radix & genus David, stella splendida & matutina.

Conditor & Redemptor noster postquam omnia creavit, ut nos de captivitate redimeret, inter nos de stirpe David incarnatus apparuit, suæque passione à perpetua morte liberavit. Qui flagellatus, derisus, palmis cæsus, corona spinea coronatus, sputis illitus, crucifixus, mortuus, & sepultus, tertia die surrexit, & resurrectionem, quam in se factam ostendit, quia capitis sui gloriam sequuntur membra, nobis futuram promisit. Qui natus ex Virgine velut lucifer inter tenebras nostræ noctis apparuit, quoniam obscuritate fugata, peccati nobis æternum mane nunciavit. Luciferum verò se innovit, quia diluculo de morte surrexit, & fulgore sui numinis, mortalitatis nostræ terram caliginem preffit. Bene ergo per Joannem dicitur: *Stella splendida & matutina.* Vivus quippe apparens post mortem, matutina nobis stella factus est: quia dum in semetipso exemplum nobis resurrectionis præbuit, quæ lux sequatur, indicavit. Primus enim nobis eternæ patriæ gloriam in sua resurrectione monstravit. *Qui surgens à mortuis jam non moritur: & mors illi ultra non dominabitur:* nobisque exemplum dedit, ut ea fieri in die ultimo de nostra carne credamus, quæ facta de carne in die resurrectionis cognovimus. Sed quia sermo nobis de carnis resurrectione se intulit, triste nimis & lugubre est valde, quod quosdam in Ecclesia stare, & de carnis resurrectione cognoscimus dubitare. Hanc autem antiqui Patres venturam esse certissimè crediderunt, etiam cum nullum adhuc ejusdem resurrectionis exemplum tenerent. Quia igitur damnatione digni sunt, qui & exemplum jam Dominicæ resurrectionis acceperunt, & tamen adhuc de resurrectione diffidunt. Pignus tenent, & fidem non habent: Ecclesiam replent, sed quia de resurrectione sua dubitant, mente vacua stant. De hac per beatum Job dicitur: *Scio quod Redemptor meus vivit, & in novissimo die de terra resurrecturus sum: & rursum circumdabor pelle mea, & in carne mea videbo Deum, quem visurus sum ego ipse, & oculi mei conspicientur sunt.* Hinc Psalmista dicit: *Aufer spiritum eorum, & deficient, & in pulverem suum revertentur.* Moxque de carnis resurrectione subiungit: *Emitte spiritum tuum, & creabuntur, & renovabis faciem terre.* Hinc per Ezechielem Pro-

S. Greg. Tom. III.

Aphetam dicitur: *Ossa arida, audite verbum Domini.* *Hæc dicit Dominus Deus ossibus his: Ecce ego intromittam in vos spiritum, & vivetis, & dabo super vos nervos, & succrescere faciam super vos carnes, & superextendam in vos cutem, & dabo vobis spiritum, & vivetis.* Hinc est quod Propheta alius per resurrectionem Domini genus humanum vidit in finem suscitari, atque ait: *Vivificabit nos post duos dies, in die tertia suscitabit nos; & vivemus in conspectu ejus.* Hinc est, quod cum de semetipso Dominus loqueretur, adjunxit: *Nolite mirari hoc, quia venit hora, in qua omnes, qui in monumentis sunt, audient vocem ejus: & procedent, qui bona egerunt, in resurrectionem vite, qui verò mala egerunt, in resurrectionem judicij.* Hinc Paulus ait: *Si enim credimus quod Iesus mortuus est, & resurrexit, ita & Deus eos, qui dormierunt per Iesum adducet cum eo.* Qui rursus ait: *Primitia dormientium Christus.* Si enim nos à mortis somno non surgimus, quomodo resurrectionem Dominicam primitias habemus? Ecce veteres & novi patres, uno sibi spiritu de carnis resurrectione concordant: ecce ipsa per se Veritas prius voce docuit quod de resurrectione carnis postmodum opere demonstravit: & tamen adhuc quorundam infirmitas fidem non habet, etiam in domo fidei stans, sed mirari solent qualiter caro reviviscere possit ex pulvere. Mirentur igitur amplitudinem, molem terræ, abyssos aquarum, omnia, quæ in mundo sunt, ipsos quoque Angelos creatos ex nihilo. Minus est valde aliquid ex aliquo facere, quam omnia ex nihilo fecisse: ipsa nobis elementa, ipsarum species resurrectionis imaginem prædicant. Sol enim quotidie nostris oculis moritur, quotidie resurgit: stellæ quoque matutinis horis occidunt, vespere resurgunt: arbuta temporibus æstivis plena foliis & frugibus videmus, quæ hiemali tempore nuda floribus ac fructibus, & quasi arida remanent: sed vernali sole redeunte, cum humor à radice surrexit, suo iterum decore vestiuntur. Cur ergo de hominibus diffidit, quod in lignis fieri videtur? sed sæpe pulverem putrescentis carnis aspiciunt, & dicunt: *Unde ossa & medullæ: unde caro & capilli poterunt hæc reparari?* Hæc itaque requirentes, parva semina ingentium arborum videant, atque si possunt dicant: *ubi latet in eis tanta moles roboris, tanta diversitas ramorum, tanta multitudo & viriditas foliorum, tanta species florum, tanta ubertas saporum, atque odor fructuum?* Nunquidnam semina arborum odorem vel saporem habent, quem ipsæ post arbores in suis fructibus profertur? Si ergo ex semine arboris, quod videri non potest, produci potest, cur de pulvere carnis humanæ diffidit, quia ex eo reparari forma valeat, quæ non videtur? Sæpe autem objicere inanem quæstionculam solent, quia dicunt: *Carnem hominis lupus comedit, lupum leo devoravit, leo moriens ad pulverem rediit: Cum pulvis ille suscitabitur, quomodo caro hominis à lupi & leonis carne dividetur?* Quibus quid respondere debemus, nisi ut prius cogitent, qualiter in hunc mundum venerint, & tunc inveniant qualiter resurgant. Certè tu homo qui loqueris, aliquando in matris utero spuma sanguinis fuisti. Ibi quippe ex patris semine, & matris sanguine parvus ac liquidus globus eras. Dic, rogo, si nosti qualiter ille humor seminis in ossibus duruit, qualiter in medullis liquidus remansit, qualiter in nervis solidatus est, qualiter in capillis atque unguibus distinctus est: ut ita capilli molliores carnibus, & ungues essent teneriores ossibus, carnibus duriores? Si igitur tot & tanta ex uno semine, & per speciem distincta sunt, & tamen in forma remanent conjuncta, quid mirum si possit omnipotens Deus in illa resurrectione mortuorum, carnem hominis distinguere à carne bestiarum, ut unus idemque pulvis, & non resurgat in quantum pulvis lupi &

Bbbb ij

& leonis, & tamen resurgat in quantum pulvis est hominis? Vide itaque, homo, qualiter ad vitam venisti, nequando dubites ad vitam qualiter redeas. Cur autem ratione vis comprehendere quomodo redeas, qui ignoras quomodo venisti? Da potentia Conditoris tui quod comprehendere non vales de temetipso. Certè enim, quia tu ex terra factus es, terra verò ex nihilo, tu es creatus ex nihilo. Ne ergo de carnis tuæ resurrectione desperes, perpende prudenter: quia minus est Deo reparare quod erat, quàm fecisse quod non erat. Si non potes resurrectionis effectum ratione comprehendere, perpende, quàm multa sunt, quæ non intelligis qualiter sint, & tamen esse non dubitas. Dic ergo, si nosti, gyrus cæli, terræ cardines, aquarum abyssus ubi finiuntur, ubi suspensi sunt? Scimus autem quia quod ex nihilo factum est, pendet in nihilo: sed si est aliquid, quod dicitur nihilum, jam nihilum non est. Si autem nihil est, nihilum nusquam mundi moles dependet, nec est ubi sit quod creatum est, ut sit. Quomodo ergo nusquam est quod novimus, quia est? Sed hæc fortasse ad te multa sunt, ad temetipsum homo revertere. Certè ex spiritu es creatus & limo: uno invisibili, altero visibili; uno sensibili, altero insensibili. Quomodo ergo permisceri potuit in te spiritus & limus, atque ex diversis fieri res non diversa, ita ut in tanta convenientia misceretur spiritus & limus; ut cum caro arretitur, spiritus marceat: & cum spiritus affligitur, caro contabescat? Sed forsitan necdum prævales discutere temetipsum. Perpende ergo si vales, quomodo rubrum mare virgâ divisum est, quomodo petra duritia percussione virgæ undas emanavit: quomodo virgâ Aaron sicca floruit: quomodo ex ejus genere veniens Virgo concepit: quomodo & in partu virgo permanfit: quomodo quatruiduanus mortuus iussione suscitatus, ligatus manibus & pedibus de sepulcro exiit, quem postmodum solvi Dominus per discipulos iussit: quomodo idem Redemptor noster in carne atque ossibus resurgens, clausis ostiis ad discipulos intravit. Ecce hæc investigare non vales & tamen credis. Cur ergo de resurrectionis gloria, disputando & discutiendo dubitas, qui tam multa mysteria sine discussione credidisti? Qui tamen, si re-

A resurrectionem carnis non credis, omnia sine causa credidisti: quia & in hoc Angelorum spectaculo videris quidem velociter currere, sed postquam cursum peregeris, ne bravium accipias adversaris. Unde per Paulum dicitur: *Sic currite, ut comprehendatis.* Qui rursus ait: *Si in hac vita tantum in Christo sperantes sumus, miserabiliores sumus omnibus hominibus.* Divinæ autem virtutis mysteria, quæ comprehendendi non possunt, non intellectu sunt discutienda, sed fide veneranda. Sciendum atque nobis est: quia quidquid ratione hominis comprehendere potest, mirum esse jam non potest, sed sola est ratio in miraculis, potentia facientis. Ecce dum de resurrectione carnis loquimur, in ea tractanda paululum immorati sumus. Considerare autem libet, qui nos sumus, qui ista tractamus: certè ex Gentibus venimus, certè Patres nostri lignorum ac lapidum cultores fuerunt. Unde igitur hoc nobis, ut tam profunda mysteria scripturarum memoremus? Agamus gratias uni, qui cuncta, quæ de eo in sacro eloquio scripta sunt, opere implevit, ut quæ intelligi audita non poterant, visa panderentur. Ibi quippe incarnatio, ibi passio, ibi mors, ibi resurrectio, ibi continentur illius ascensio. Sed quis nostrum hæc audita crederet, nisi facta cognovisset? Signatum ergo librum sicut in hac Joannis Apocalypsi legitur, quem aperire & legere nullus poterat, Leo de tribu Juda aperuit: quoniam omnia ejus nobis mysteria in sua Passione, ac Resurrectione patefecit. Et per hoc quod infirmitatis nostræ mala pertulit, suæ nobis potentia & claritatis bona monstravit. Caro enim factus est, ut nos spirituales faceret: benignè inclinatus est, ut elevaret: exiit, ut introduceret: visibilibus apparuit, ut invisibilia monstraret: flagella pertulit, ut sanaret: opprobria & irrisiones sustinuit, ut nos ab opprobrio æterno liberaret: mortuus est, ut vivificaret. Agamus ergo gratias vivificanti & mortuo, & ideo ampliùs vivificanti, quia mortuo, qui per hoc quod infirmans mala nostra sustinuit, nos, qui creatura illius sumus, ad fortitudinis suæ gloriam perduxit, in qua vivit, & regnat cum Patre, in unitate Spiritus sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum. Amen.

Exod. 14.

Num. 20.

Num. 17.

Ierem. 6.

Ierem. 20.

Finis expositionis in Apocalypsim, & in Novum Testamentum.

